image
not
available

Digitized by Google

Digitized by Google

6
19-b
113

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 G
28

[Bi]bliotheca
Coll. Rom.
[Soc]t. Jesu

II
888

20 6 39
6. 19. B. 113

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTIO ORATORIS.

SEU

DE GESTU ET VOCE

LIBRI DUO

Autore IOANNE LVCAS *Societatis* JESU *Sacerdote.*

PARISIIS,
Apud SIMONEM BENARD, via Jacobæâ,
e regione Collegij Claromontani
Societatis JESU.

M. DC. LXXV.

CVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI,

COADJUTORI MONASTERIENSI,

COMITI PYRMONTANO,

S. R. J. PRINCIPI

LIBERO BARONI DE FURSTENBERG.

Joannes Lucas S. I.

EA celebritas eſt nominis tui, Princeps Celſiſſime; hæc tua in æſtimandis doctorum virorum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

operibus perſpicacia, in remunerandis liberalitas, in vindicandis ab ſitu & oblivione providentia: nemo ut jam ſcribere aliquid cogitet, quin tuis illud auſpiciis prodire velit in publicum. Me quidem, qui necdum tibi cognitus, te tamen talem ac tantum jampridem novi, communis fama, & privata amicorum exempla moverunt; ut quod erat opellæ in manibus offerrem tibi pro more ac dedicarem. In quo quæ fuerit ratio conſilij mei patere omnibus, ſine fuco aſſentationis aut circuitione

Digitized by Google

diſsimulationis, volo. Quærebam nimirum puſillæ lucubrationi quod præfigerem nomen, illuſtre, celebratum, immortale: tale viſum eſt tuum, ſplendore natalium, rerum geſtarum fama, monimentorum omnis generis perennitate. Optabam patronum, cuius iudicio facile ſtarent alij; quique præire unus reliquis poſſet, quid de me ſentirent: inter paucos occurriſti, cuius ſuaviſsima & honeſtiſsima ſtudia, exquiſitam reconditæ antiquitatis cognitionem, vim admirabilem capaciſsimæ mentis,

Digitized by Google

non Gallia modo, ſed & Italia, Germania, Hiſpania, totaque adeo Europa ſuſpiceret. Ad hæc, inſcribendas illi leges dicendi putabam, qui calleret eam artem, quam verſu complexus eram: Tu cum aurea illa facundia, quam in populorum animis ſuavius regendis adhibes, mihi obverſabaris: qui præterquam quod mente complecteris, quæ omniſcia & dominatrix populorum eloquentia deſiderat; hoc etiam ſupra Oratoris votum, moderatione animi, integritate morum, fidei propagandæ ac

tuendæ ſtudio aſſecutus es; ut merito virorum optimus & præſulum religioſiſsimus habearis. His illud quoque acceßit: quod cum mihi conſcius eſſem, niſi operoſe, vocem poëticis pingi coloribus, & geſtũ exprimi oratione numeris aſtricta, non poſſe; nec eſſem neſcius hæc interdum cogitanti facilia videri, quæ experiẽti difficillima ſunt: Statueram opuſculum noſtrum illi primũ tradere in manus; qui ad ea, quæ dixi, decora hoc proprium & ſingulare adiunxiſſet, ut idem eſſet poëta. Tum enim vero ne relictus quidẽ delibe-

rationi locus. Vnus enim Principum, qui nunc vivunt, unus, inquam, es: qui te rei poeticæ peritũ præſtantiſsimis operibus editis ad ſempiternã poſteritatis memoriam probaveris. Quæ quidem laus, inter tot alias, adeo tua ſolius & propria; nobis, qui in hoc ſcribendi genere occupamur, prædicanda utique præ cæteris. Quid enim tibi ea re non debemus omnes? Regiũ quippe ac prope divinum poetæ nomen, non, ut alij, ſubruſtico contẽptu & agreſti arrogantia aſpernatus es, & infra te eſſe duxiſti: ſed illud aſſecutus merito

tuo, omnium gentium adeptus ſuffragio, ſuſtines cum dignitate tanta; ut dubium ſit, majorine tua, an muſarum, reliquorumque poetarum ſuſtineas gloria. Neque vero recens hoc beneficium tuum, aut nobis heri vel nudius tertius collatum. Ex quo enim in Alexandri VII. aula muſas habuiſti contubernales, & cōciliatrices pontificiæ amicitiæ: tu illas feciſti propenſione voluntatis tuæ amabiles, tuæ æſtimatione pretioſas, uſu ſacras; donis atque largitionibus opulentas. Quanquam hæc Tibi, quæh onoris gratia un-

Digitized by Google

dique, quaſi ſi omnis litteraturæ patrocinium ſuſcepiſſes, ad te aſpirat univerſa doctorum natio, gratuletur. Id, quod inſtat, nunc ago unice, ut intelligas, quid fuerit, quamobrem Te in tantæ dignitatis faſtigio poſitum, tantulus ego qui ſim, tanto etiam ex locorum intervallo apellandum putarim. Vale.

Lutetiæ Pariſiorum Kal. Iun.
M. DC. LXXV.

Digitized by Google

LECTORI.

QUÆ proxime ſuperioribus annis duobus de Geſtu & Voce poemata ſcripſimus, erat, tum, cum ſcribebamus, animus premere; neque unquam edere in lucem. Cum enim hæc propter ſtudioſos eloquentiæ adoleſcentes inchoata & perfecta lucubratio eſſet: ſatis magnum operæ pretium tuliſſe putabamus; quod recitata publice tantum iis utilitatis attuliſſet, quantum ipſi percepiſſe ſe profitebantur. Verum, cum ad nos quotannis ex inferiore loco ac gradu veniant auditores novi, quidam etiam dent nobis operam biennium ab utriſque poſtulari & repeti ſæpenumero audivimus hæc, quæ ſemel pronuntiata, multorum, ut fit, animos jam prætervolaſſent, de Geſtu & Voce præcepta.

QUIBUS ſtudioſorum adoleſcentum poſtulatis hoc acquievimus libentius; quod ita levabamur eo labore, qui ſingulis annis pro ratione muneris denuo ſuſcipiendus eſſet, eadem viva, ut aiunt, voce inculcandi. Sic igitur actio oratoris noſtra, LECTOR CANDIDE, tuas in

manus venit. Quæ ſi non ea primum mente ſcripta eſt, ut eſſet tua: quæſo, oroque, ne minus grato ac libenti animo accipe. Quoquo enim conſilio ſcripta, tua eſt quidem certe: hac, ut voles, nunc uteris. Porro ne mirare additas certis locis interpretationes & notas. Id enim præterquam quod exemplo & ſuaſu doctiſſimorum virorum fecimus: cur ita fieret, duæ omnino cauſæ fuerunt. Prima cauſa eſt, ut pateret omnibus, quid præceptionum, quo ex fonte hauſiſſemus: par enim fuit διδασκαλικὸν poëma inniti autoritate veterum. Altera: ut quæ reconditioris doctrinæ haberent nonnihil, ſic fierent ipſis etiam tyronibus, quibus præſertim ſcribebamus, planiora.

ACTIO ORATORIS,

LIBER PRIMUS.

DE GESTU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Qui nondum juſto moderari corpora motu,
Et regere artifici didicit modulamine vocem
Actorem aggredior, facilis ſi Muſa laborem
Adjuvat, ignotas cantu deducere ad artes.
Vos mihi, ſive forum, ſeu pulpita ſacra vocabunt,
Ferte pedem properi, & pronas his vocibus aures
Adjicite o pueri. Nec vos didiciſſe pigebit,
Spero equidem, qua ſe tollit facundia voce;
Quis capitis ſitus orantem, quæ gratia vultus,
Quis flexus laterum, reliqui quis corporis uſus,
Quis ſtatus inceſſuſque decet. Nāque [1] actio primas
Divitis eloquii partes, eademque ſecundas,
Et quantum eſt primis quod partibus atq; ſecundis
Additur, una poteſt in ſe complexa videri:
Ni Graiæ ac Latiæ fallunt oracula linguæ.
Ergo agite orantum genus, o lectiſſima pubes;

1. Actio, inquam, in dicendo una dominatur: ſine hac ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt; mediocris, hac inſtructus, ſummos ſæpe ſuperare. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo eſſet primum; huic ſecundas, huic tertias. *Cicer. De orat. l. 3, 11;*

Digitized by Google

Vos, mihi quos doctis facunda Lutetia curis
Ad ſuggeſta dedit prima ductare juventa;
Hoc pariter conemur opus, quod Rhetore dignum
Et Tragico. Placeant aliis cœpta horrida Martis,
Et direpta manu non uno ex hoſte trophæa:
Dum ſubigit miſtos Batavis Lodoicus Iberos.
Certatim hæc alii nuper cecinere poëtæ:
Hactenus at nemo tentavit carmine partem
Quam ſequimur: placet haud tritos inſiſtere calles.
Sed neque principio vel Muſas ſupplice cultu
Conciliare mihi, vel carmina poſcere Phœbum
Cura ſit. Incœptis tu tantum allabere noſtris
Idem Pieriæ lux & tutela catervæ
FERDINANDE, vagus quē prona [1] Amiſius urna,
Et Padera, & clarus Romanis Luppia caſtris,
Agnoſcunt dominantem & primo e fonte ſalutant.
Nam ſi reſpicies, poteris dare carmina nutu;
Et facere emeritum præſenti numine Vatem,
Qui nondum expertus ſpecioſa pericula famæ,
It metuens oculoſque pati mentemque legentum.
Hoc memini centum, tibi dedita pectora, vates
Quos Muſæ mihi junxit amor, jurare ſuamque
Per citharam, perque æterna de fronde coronas
Auſpice quas te uno quondam meruiſſe fatentur.
Iam vocor, ecce manus me circum ſubſilit ardens
Inſtantum juvenum, & geſtus præcepta rogantum.
Nulla mora eſt: ſtat certa fides, promiſſaq; ſolvo.
Tu Ferdinandum, quiſquis modo carmine noſtro

1. Amiſius, Padera, Luppia, naſcentes in Paderbornenſi ditione fluvii, quorum fontes exquiſitiſſimis operibus Celſiſſimus Princeps ornavit. Amiſius a fontibus ad oſtia habet ſtadia 2310. *Martian. Heracl.* Padera, in urbe Paderbornenſi, cui dedit nomen, naſcitur. *Monum. Paderb.* Ad Luppiam Druſus, Tiberius, Germanicus, diu caſtra poſuerunt. *Tacitus l. 2, an. & 5. Hiſt. Dio. l. 54.*

Inſtituendus ades, me primum auctore vereri
Incipe, & attentas his adjice cantibus aures.
Si quando magna populi ſpectante corona
Verba facis, ſit prima [1] caput componere cura.
Ne pronum in terram & devexo pondere preſſum
Pendeat, atque pedes dejecto lumine figat.
Ardua ne cervix, colloque erecta repando,
Sublimes auras & cœli ſidera ſemper
Suſpiciat: veluti numerata recenſeat actor
Tigna [2] domus, oculos metuens ſpectare tuentum.
Nec minus hoc fugias, laſſo demittere collo,
Inde reclinatum dextro caput, inde ſiniſtro
Non bene fultum humero. Dicentem tollere vidi
Alternatim humeros grandes: ſic ut ſibi nunquam
Alterutram non occuleret male providus aurem;
Credo equidem ne ſe ridentis ſibila vulgi
Auribus hauriret geminis. Deformius iſto
Illius at vitium eſt, qui [3] circulat; & levis omnes
Aſſidue in partes volvit caput irrequietum:
Qualis in excelſa quæ ſtat verſatilis æde
Bractcola, aurarum & mutati nuntia venti.
Quanquam nec rigidis tibi colla horrentia nervis
Optem ego, quæ nunquam niſi verſo corpore verti
Aut dextra aut læva valeant. Solet eſſe [4] luporum

1. Præcipuum vero in actione ſicut in corpore ipſo caput eſt; cum ad illum, de quo dixi, decorem; tum etiam ad ſignificationem decoris. Illa ſunt, ut primo rectum & ſecundum naturam. Nam, & dejecto humilitas, & ſupino arrogantia, & in latus inclinato languor, & præduro ac rigente barbaria quædam mentis oſtenditur. *Quintil. l.* 11. *c.* 3.

2. Vitioſa ſunt illa, intueri lacunaria. *Quint. ibid.*

3. Videt oſcitantem judicem, loquentem cum altero, nonnunquam circulantem. *De clar. orat.* 200. *Manutius explicat.* in circulum ſe vertentem: *Budæus* ſe circumflectentem.

4. Tantum & lupo & hyænæ, ex ſingulis rectiſque oſſibus rigens cervix. *Plinius hiſt. nat. l.* 11. 30.

Digitized by Google

Alterno trepidet [1] palpebra reciproca motu,
Adduci nimium facilis faciliſque remitti.
 Hæc adeo, quæ præ reliquis vitioſa, caveto.
Sunt qui [2] vulticulum preſſis ſibi fingere labris;
Et grandem ſtudeant bucca ex utraque lacunam
Extenuare; genaſque, & latum cogere mentum
In brevius. Vaſti preſſu ſic oris hiatum
Informem celant: ut nunquam ſpiritus omnis
Exeat: at magnis pateant pulmonibus, atque
Fracta coarctato ſupplantent verba palato:
Mole viri, tenues eliſa voce puelli.
 Sunt contra magno qui pandunt guttura niſu;
Seu recitent blandus quod ait Junonis in aurem
Jupiter; horrendum ſeu quod tremit excitus orbis;
Dum buccas trepidis [3] inflat mortalibus ambas;
Id pueris ſolitum, invita licet uſque Minerva.
 Hos videas largo dentes oſtendere rictu,
Atque ad tonſillas luctantem promere linguam;
Et fauces laxare, & ſeſquipedalis apertum
Oſtentare gulæ cunctis metuentibus antrum:
Scilicet hoc metuam, nec vana eſt cauſa timoris;
Ne declamator patulo me devoret ore,
Dum nimis expaſſo diſtendit verba palato.
 Quam bene [4] Romanus vates *Noſcenda* canebat

1. Si quis frontis ac luminum inconſtantia trepidare non deſinat, rideatur. *Quint. l.* 10. *c.* 3. vidi multos quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus allevarentur. *l.* 1. *c.* 11.

2. *Cic. ad Atticum. l.* 14. *ep.* 23. Non te Bruti vulticulus ab oratione deterret. *Aſconius* explicat vultum ex arte compoſitum.

3. Proprium iratorum. *Horat. l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 20.
Quid cauſæ eſt merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet.

4. *Iuvenal. Sat.* 11. *v.* 35. . . . Dic tibi quis ſis.
Orator vehemens, an Curtius, an Matho: buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ.

Eſt buccæ menſura ſuæ. Tu dicito ſuavi
Voce puer : tu vir robuſta dicito voce :
Nec nimis extendas , nimis aut compreſſeris ora.
Labra [1] ſitum retinent, quem dat natura, decenter.
Ruſticus illa tumor dilatat; at illa coacto
Turpius aſtringit violenta modeſtia preſſu.
Hæc dixiſſe ſatis: Quid enim nos iſta morentur
Amplius ? Hic tantum frontemque & labra figuro.
Tempus erit poſthac, proprio dum carmine pangam
Congrua flexanimæ quæ ſint modulamina voci.
At quis erit, Superi ! dextro ſat pollice vates,
Qui non palpebras oculorumque extima tantum,
Sed pupillæ etiam metuentem pollicis orbem
Flectere tangendo valeat , nec lædere tactu.
Qui te jam admonui, ne frons caperata reducat
Triſte ſupercilium, nimium ne palpebra nictet :
Jam, ne collimes tranſverſa tuentibus hirquis ;
Ne ſtupeas ſemper [2] ciliorum margine aperto ;
Neu, moneo, adducto coma dum calet icta galero,
Inſanos mittas oculis furialibus ignes.
Eſt oculus mentis ſpeculum. Quod ſenſibus imis
Cunque latet, levi deſcribere in æquore, magnum
Hoc opus, hæc noſtri pars nec temnenda laboris.
Quæ ſe villoſis defendit vitrea ſeptis
Undique & interius duro ſub fornice verſat ,
Idcirco liquido ſupponit pupula denſum ,
Ut ſpecies capere objectas & reddere poſſit.
Ergo age nunc primum moderari [3] lumina diſce,

1. Labra, & porriguntur male, & aſtringuntur. *Quintil. l. 11. c. 3.*

2. Vitium in ſuperciliis, ſi ſint immota omnino , aut nimium mobilia. *Ibid.*

3. *Cic. l. 3. de orat.* 221. Animi eſt omnis actio, & imago animi vultus eſt , indices oculi : nam hæc pars eſt corporis quæ, quot animi motus ſunt , tot ſignificationes & commu-

Ut ſenſus animi referat cryſtallinus humor,
Inque ipſo nullum non aſpectabile verbum
Pareat obtutu, ſonitu dum fertur ad aures.
Sic celer auditor redimet ſubſellia nummo,
Sic te dicentem ſtupefacto lumine figet,
Olim plauſurus dum verba noviſſima dices.
Ingreſſu in primo, primoque in limine ſcenæ
Fac me oculi doceant, venias [1] an Davus, an heros;
Iratuſne Chremes, an frater neſcius iræ,
An civis legum metuens, an qui ſibi nata n
Jura neget miles. Secum omnem Græculus audax
Ferre hominem auguſta quondam jactabat in urbe,
[2] *Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,*
Augur, ſchænobates, medicus, magus, omnia.
Ne tu
Talibus obtineas indebita prandia nugis,
Neu tibi famæ vnquam veniat tam dira cupido.
Aſt hominem quemcumque paras inferre theatro,
Indue non veſtes tantum, ſed lumina primum
Et frontem. Nihil eſt homini ſimulantius ore.
[3] Proteus in varias ſolitus ſe vertere formas
Dicitur: ut ſubito fieret, vel amica luto ſus
Ex hominis facie, vel in altum præpete penna
Ferret ſe volucrem, vel prona raderet alvo
Anguis humum, aut quævis de ſe miracula rerum
Fumumq; ardentemq; rogum, fluviumq; liquentem
Fingeret, attonitis diverſo e litore Nymphis,

tationes poſſit efficere. Oculos enim Natura nobis ut equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac actione noſtra ſecundum vocem vultus valet, is autem oculis gubernatur.

1. *Horat. de arte. v.* 114.
Intererit multum Davuſne loquatur an heros &c.
Id eſt ſervus, an Dominus.

2. *Iuvenal. Sat.* 3. *v.* 75.

3. Proteum talem deſcribit Virg. *l.* 4. *Georg.*

Digitized by Google

Humida dum cogit pingues in paſcua phocas.
Scilicet hæc olim primi cecinere poëtæ,
Credula poſteritas dociles cantantibus aures
Addidit: ex illo fecit ſibi fabula nomen.
Et jam ſacra fidem potuit ſancire vetuſtas,
Nec temeranda. At tantarum primordia rerum
Si mens noſſe tibi, & veris ſecernere falſa;
Hiſtorici quæ veridicis ſcripſere libellis
Accipe. Quem proprio dixerunt nomine Graii
Protea: mimus [1] erat, nullo diſcrimine ad omnes
Fortunarum habitus facilis ſibi fingere vultum,
Atque oculos: iugi lachrymas det currere rivo
Telephe, [2] vel Peleu, veſtrum ſi nomen habebit:
Si perſona hilaris ſortito obvenerit, idem
Feſtivos oculis afflet rutilantibus ignes;
Et diſſuta joco quæ ſunt tibi labra perenni,
Democrite, induerit. Sed enim, quia factus [3] Atrides
Imperio dignum celſa modo ſumere norat
Fronte ſupercilium; ſervus modo factus Ulyſſis
Et tremere & nutum norat ſpectare jubentis
Lumine ſollicito: dictus nunc repere ſerpens,
Nunc leo terribili veſtigia figere planta.
Et nunc dictus aquæ ſimilis, flammæq; quod omnes
Mobilis in facies ſeſe converteret actor.
O utinam ſcenis iterum dent Protea noſtris
Dii quibus hæc curæ! Quid enim non vera fatebor?
Protea non credam, qui ſiccis [4] funus ocellis
Ridenti propior pullo ſub ſyrmate ducit:

1. Ipſe Lucianus Proteum ait, ἄνθρωπον μιμικώτατον
2. Telephus & Peleus cum pauper & exul uterque &c. Famoſa ſuis infortuniis nomina. *Horat. de Arte poet. 96.*
3. Agamemnon, ἄναξ ἀνδρῶν. *Homero.*
4. Si vultus ac geſtus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus renuentes: non auctoritas modo verbis, ſed fides deſit. *Quint. l.* 11. c. 3.

Nec,

Nec, qui dum celebrant genialis fœdera lecti,
Plorantes ululant, Hymen, ades, ô Hymenæe:
Nec qui luminibus torvis plenique minarum
Blanditiaſque crepant & verba precantia ructant.
Quid reliqui vultū [1] indociles variare coloremque,
Atque alii obtutu defixi ſemper in uno:
Ut qui ponte novo ſinuoſi fluminis undas
Sublabi, & multum ſe propter currere civem
Aſpicit ærato [2] rex æreus ipſe caballo?
Audio, ſed quæ oculos, inquis, ſic machina volvat,
Quis pingat color? Huc aures animumque: doceri
Namq; potes. Nimirum oculos ſeu machina volvit,
Et quovis melius pingit mens ægra colore.
At non ægra mihi mens dicitur, arida febris
Aut quam dirus hydrops languore abſumit aquoſo:
Mens ægra eſt, quam morbus habet, qui dictus Athenis
Ante [3] PATHOS, mentis dein perturbatio Romæ.
Morbi index oculus. Morbos plerumque fateri
Sit pudor: at ſanus, menti quodcumque dolebit,
Geſtiat Orator veraci prodere vultu.
Occuluiſſe nefas. Vultu vis prodere morbos?
Tu ſcire morborum cauſas, tu pectora primum
Ipſa move, motum non fallent lumina pectus
Perfida. Sic nati cineres complexa tenebat
Andromachen pleno declamans [4] Seia theatro,

1. Sic Rufus, de quo *Auſonius Epigram.* 51.
Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt. Si ſaxea, Rufus.
Cur id ais? ſemper ſaxeus ipſe fuit.

2. Henrici Magni Statua equeſtris Pariſiis.

3. Hoc propemodum verbo Græci omnem animi perturbationem appellant, vocant enim πάθος, ideſt morbum; quicumque eſt motus in animo turbidus. *Tuſcul. quæſt. l. 3. n. 23.*

4. Mima, quæ Andromaches Aſtyanactis mortem lugentis

Digitized by Google

Heu veris lacrymis alienum imitata dolorem.
Fœmina, Pelignum [1] vatem ni Muſa fefellit,
Eſt omnes animi ſenſus ſimulare perita.
Nam quo quæque loco voluit, quo tempore plorat:
Ceu lacrymas habeat certa in ſtatione paratas.
Erudienda tibi ſic ſunt tua lumina ad omnes
Quos intus pateris, quos vis effingere, motus.
Namque alios dabit ira, alios clementia viſus.
Hos ſtupor affixoſque ſolo immotoſque tenebit:
Dejiciet dolor: at rebus recreata ſecundis
Lætitia attollet cœlo, & quocumque movebit
Exultans animis: gravis indignatio torvos;
Et conniventes faciet miſeratio: ſiccos
Riſus; & humentes gemitus ſibi triſtis habebit.
Nunc mihi fas docileſque manus, & cerea flecti,
Quo lex cumque vocat nunquam violanda decori,
Brachia circumagere, & juſto diſponere flexu.
Tu ne fingentis ductum accepiſſe recuſa,
Neve reſiſte operi: ſic te exoptata manebunt
Appenſæ ante fores, actorum præmia, [2] palmæ.
Actio multa quidem diverſaque munia fungi
Dicitur, in manibus tamen omnis, [3] & omnis in uno.

ut ſuſtineret perſonam, ſui ipſius filii cineres conjecit in urnam ſcenicam: atque ita vere ingemuit, imitando dolores non ſuos. *Plutarch.*

1. Ovidius *in epiſt. ad Demoph. &c.*

2. Palmæ victorum oratorum foribus appendi ſolitæ. *Iuven. ſat. 7. Martial. 7. epig. 27.*
Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Palmas etiam dari ſolitas Ædilium judicio hiſtrionibus, qui bene perſonam ſuſtinuiſſent, patet ex prologo Amphitryonis & Pœnuli.

3. *Quintil. l. 11. c. 3.* Manus vero, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt quot motus habeant, cum pæne ipſam verborum copiam perſequantur. Nam

Pæne ſita eſt geſtu. Linguam manus adjuvat, infans
Illa licet, licet iſta parens ſit vocis, & omnes
Docta ſoni modulos objectu frangere dentis.
Verum hoc principium tibi ponitur & caput artis;
Noſſe iſtos variare ſitus. Nam lingua loquendo
Non plura expediat diverſis nomina rebus;
Congrua nominibus variis quam ſigna reponat
Æmula, nec vinci patiens manus. Ilicet omnia
Circuitu verborum & longa ambage laborans
Quæ ſegni lingua eloquio demittit in aures,
Dextra cito vigiles oculos docet indice geſtu:
Dextra, potens celeris motum prævertere linguæ;
Atque eadem, dum pulmo animæ vitalis egenus
Plura locuturi non ſuſtinet oris hiatum,
Semper inexhauſta & nunquam defeſſa moveri.
Ergo tibi labor is primum impendendus, ut omnis
Quid facunda velit manuum ſibi motio, noris.
Nec tenuis labor iſte: tibi nam mille figuræ,
Signorum innumeræ ſpecies & nomina mille
Ediſcenda prius, quæ paucis deinde docebo.
Ambæ dum paſſis nituntur ad æthera palmis;
Conſiſtuntque manus: præſentia rebus egenis
Adfore declarant non caſſis numina votis.
Decidua dum mole premunt latus: irrita monſtrant
Vota, nec auritos potuiſſe advertere Divos.
Pectinis in morem digitis coëuntibus, ante
Dum pendent; triſtem: dum convertuntur, anhelum:
Dum lumbos ſuper & turgenti tergore tortæ
Pone ſedent; tumidū: dum anſas hinc inde figurant;

cæteræ partes loquentem adjuvant: hæ, prope eſt ut dicam, ipſæ loquuntur. An non his poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, abominamur, timemus, interrogamus, negamus? Non in demonſtrandis locis ac perſonis adverbiorum ac nominum obtinent vicem?

Præſidentem animi: dum pandunt longius alas;
Audentem: lætum, dum crebris motibus errant:
Attonitumque decuſſatæ: in ſpiramque volutæ,
Plurima volventem ſecum: abjectumque remiſſæ,
Sive vacillantes dubio libramine dicunt.
Atque hæc ſignorum manibus quæ forma duabus.
Jam quibus indiciis ſe dextera ventilet, audi.
Uſus erit dextræ primum cognoſcere motus:
Quæ ſæpe, ut læva potior, ſolet una moveri.
Illa quidem explicitæ dum porrigit intima palmæ
A labiiſque ad humum lente demittit: honorat
Et ſalvere jubet. Retro converſa repellit:
Et vos eſte, inquit, procul hinc; procul eſte profani.
Miratur reſupina: levi circum acta rotatu,
Si paullum aſſurgit, dicta elevat; & tua teque
Spernit: adulatur, ſi tantum circinat auras,
Et tenui in ſeſe gyro ſinuata recurrit.
Imperium exercet, ſi ceſſat tenſa moveri:
Sin agitat ſeſe alternis ſurſumque deorſumque;
Indicit calidæ tranquilla ſilentia turbæ
Majeſtate ſuâ: quæ mitius imperat, ora
Dum media occludit, tranſverſoque indice ſignat,
Ut qui Sigalion [1] ſervat tua ſacra Serapi?
Verum hæc ante alias vox eſt blandiſſima voces
Senſa animi dextræ vulgantis, ſæpe ſupremam
Hinc atque inde cutem frictu quæ mulcet amico
Palpatrix: vel dum candentia colla, humeroſque,
Atque repercuſſum tremulo latus impete plaudit,
Dulce cavo tenui reſonans. Sic nempe jocoſque,
Deliciaſque, & amicitias, atque omnia ſuevit

1. Simulacrum apud Ægyptios, in ſacris Iſidis & Serapidis, digito labris adpreſſo ſilentium imperans.
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet. *Ovid.*

Blandi-

Blandimenta loqui. Sed non ita : dum redit in ſe
Applicitiſque volæ pugnum facit unguibus. Audin'
Compreſſi in palmam digiti quas protinus iras,
Et quæ flammati jam proxima prælia Martis
Intentu graviore canant? Non ludimur, ecce
Prædicta exarſit ſubito diſcordia motu.
Et jam cum rubra dentes ſpuit ille ſaliva:
Iſte cruentatas deformi vulnere nares
Ardet inexpletum vulſis penſare capillis.
Nigreſcunt oculi, frons livida turget : & auris
Pulſa calet, crebroque rubens male tinnit ab ictu:
Et velut hyberna crepitat ſub grandine dorſum.
Has nimirum inimicitias & prælia pugnus
Dixerat. Vſque adeo, quamvis ſit muta, fideli
Dextra oculo narrat non mutis omnia ſignis.

Nec tantum manibus conceſſa locutio totis :
Sunt quoque vocales digiti, [1] articulique loquaces.
Quorum ne fugiat tacitus tua lumina ſermo,
Quid poſitus monſtrent varii præſcire labora.
Te docet, interior dextro ſi pollici adhæſit,
Treſque alios a ſe digitos procul expulit index;
Te vocat admotus labris, vola preſſa coërcet
Tres ſuperimpoſito digitos dum pollice. Sed cum
Obliquus ſe crebra movet, fuge: namque minatur
Intentatque malum. Si recta porgitur, ito;
Quid ceſſas? tibi monſtrat iter : de millibus unum
Ni te forte notat. Fruſtra ſonat auribus, hic eſt,
Hic vir, hic eſt, clamas iterumq; iterumq; tot inter
Quem loqueris tamen ignoro : ſi dixerit index
Eloquio meliore, hic eſt; ſint millia centum,
Ille patet quemcumque notat, mihi cognitus hic vir.
Tanta vel in digito facundia cernitur uno.

Quod ſupereſt, manibus tu caute utare diſertis,

1. *Caſſiod. l. 4. ep. ult.* His ſunt additæ Orcheſtrarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, ex-

Ut quæ lingua ſonat geſtu propiore ſequaris,
Non præeas.[1] Neſcit menti vox ſana præire;
Nec voci novit ſapiens præcurrere geſtus.
Pone ſequi dominam gaudet vox ſobria mentem:
Ire comes voci motu famulante laborat,
Et paribus ſpatiis menti ſuccedere geſtus.
Tu ne communis famulatus jura reſolve,
Sed magis officiique vices & tempora ſerva.
Nam quandoque amens turbat diſcordia fœdus:
Dum geſtum opponit voci,[2] vocemque viciſſim
Cum geſtu bellare facit: deformia bella
Scilicet, & menti nunquam placitura magiſtræ.
Quæ ſint bella rogas? dum vox petit ardua cœlum,
Jupiter! ingeminans:[3] geſtu petit ima rebelli,
Indictumque notat male concors dextera Ditem.
At ne lucis egens nullo ductore feratur
Geſtus in incertum, ne te convertere viſus
Huc pigeat,[4] quo mens vocem geſtumq; vocabit.
Nam, niſi quem reicis tactu procul acceſſuque,
Eſt licitum commotæ oculos non jungere dextræ.
[5] Læva ſibi raro tantum me judice ſumat,

poſitio tacita,quam muſa Polymnia reperiſſe dicitur, oſtendens homines poſſe ſine oris affatu ſuum velle declarare.

1. Hic veteres artifices illud recte adjecerunt ut manus cum geſtu inciperet & deponeretur. Alioqui enim ante vocem erit geſtus aut poſt vocem: quod utrumque deforme. *Quint. l. 11. c. 3.*

2. Solæciſmus geſtu committitur cum aliud voce aliud manu monſtratur. *Quint. l. 1. c. 5.*

3. Ait Philoſtratus riſum moviſſe Sophiſtam: qui dum diceret ὦ ζεῦ terram aſpiceret; cœlum, dum ὦ, γή. Quid ſi geſtu etiam peccaſſet!

4. Aſpectus eodem vertitur, quo geſtus: exceptis,quæ aut damnare:aut a nobis removere oportebit, ut idem vultu videamur averſari, manu repellere. *Quint. c. 3. l. 11.*

5. Manus ſiniſtra nunquam ſola geſtum facit, dextræ ſe frequenter accommodat. *Quint. ibid.* Tamen nonnunquam poteſt ſola ſiniſtra moveri, ut in partionibus, &c.

Digitized by Google

Et ſi ſola poteſt, tamen auſit ſola moveri.
Conjunctis apte digitis ſe dextera ſolvat
In geſtum: nec ſupra oculos amet ire,[1] nec infra
Se cinctum valde abjiciat: nec longius, aut ſe
Latius effundat: ne remiget; aut natet, orbes
Orbibus impediens varios: ne pulpita tundat,
Aut ſtrepera alterius percellat concava palmæ.
Qui ſibi ſic plaudit, mihi jam ludibria debet,
Et referet ſtolidus meruit quæ ſibila plauſor.
Nec latum digitos diſcriminet intervallum;
Nec coëant in ſe glomeratis unguibus: intus
Nec palmâ lateant, dum pugnus cogitur, imâ:
Neve micent celeres,[2] veluti ſi ſpretus Alexim
Vocales doceat Coridon reſonare cicutas;
Dum premit alterno ventoſa foramina tactu,
Queis iter eſt animæ. Vitia in contraria proni
Offendunt pariter, preſſas muliebriter ulnas
Et qui continuat lateri; & qui ſubrigit alte
Axillæ gibbos; & dimidiata refringit
Brachia qui cubiti nodo; & qui brachia laxis
Diſtendit nervis: cui geſtu languida nullo
Diriguit manus; aut nimium manus emicat ardens,
Otia nec docilis nullo unquam ducere motu.
Garrulus ut neſcit, teneras ne ſubruat aures
Flumine verborum, torrentem ſiſtere linguam:
Sic, ne multiplicis confundat imagine geſtus
Intentas ſpectantum acies, nec parcere dextræ,
Nec certo dare compoſitos in tempore geſtus
Geſticulator amet. Rabidæ ſed Phœbados inſtar

1. Tolli manum ſupra oculos: infra pectus demitti vetant. *Quintil.*

2. Nullæ ſint argutiæ digitorum. *Cic. 3. de orat.* Aut citharædum, formatis ad modum percutientis nervos manibus, oſtendas: quod genus eſt in actione longiſſime fugiendum. *Quintil. l. 11. c. 3.*

Digitized by Google

Quam Deus intus agens majori numine rumpit;
Incertus qua parte ferat, fert brachia, dextramq;
Et lævam quocumque rapit maleſana libido.
Hoc felix uno, ſic omni ex parte beatus,
Præ manibus torpere celer ſi lingua videtur.
Queis ſuper adjiciam memores quę temporis acti
Narravere patres. Nec vos audiſſe pigebit
Hiſtoriam nimio geſtu peccare vetantem.
Hic fuit, ut perhibent, medio qui forte Lycæo,
Inter Ariſtotelis doctique Platonis alumnos,
Dum cæca evoluit Sophiæ myſteria, qui ſe
Dicendo partes adeo verſaret in omnes,
Pulpita ſic parvo de more inſtrata tapete
Tunderet, iſta iterans nimium ſolemnia verba,
HOC CONCEDO, NEGO HOC, HOC EXPLICO
TRANSEAT ISTUD,
Ut qui Rhetoricæ ſpectaret tyro palæſtræ
Diceret admirans: Brevis hæc contentio plures,
O ſocii, geſtus quam noſtra Tragœdia habebit.
Et ſera ſub nocte Sophus ſubſellia poſtquam
Deſeruit clamoſa; ut fit, rixantis [1] Hyberni
Retia cum vitata hilares gratantur amici:
Ingeniumque alius fando ſuper æthera tollit,
Arcanas hic mentis opes, atque alta profundi
Senſa animi; digna ille Deo conſultaque dicta,
Verborum hic jugi manantem flumine linguam
Aut ſtupet, aut voluit ſaltem ſtupuiſſe videri
Longe ultra placitum laudans: qui pone frequentē
Rhetor adulantium turbam conſederat, æſtus
Tantarum ſimul ut cœpit defervere laudum:
Parcite vos, inquit, doctiſſima turba Sophorum,
Si ſtrepere argutos inter velut anſer olores

1. Hyberni propter ſubtilitatem in diſputationibus philoſophicis formidabiles in academia Pariſienſi dici ſolent.

Auſim ego, qui Suadæ tantum inferioris alumnus
Quid Sophiæ hæc valeant nondum myſteria novi.
Ingenium ſubtile alii reſponſaque laudent,
Digna quibus Phœbi vocale remugiat antrum,
Dum ſacri tripodes cortinaque conſcia veri
Conſultis reddit non vana oracula Delphis:
Non ego; nec Rhetor tantum ſibi vindicet ullus.
Laudibus at veſtris, quoniam data copia fandi eſt,
Qualiacunque meæ jungam præconia vocis.
Ille mihi ante alios manuumque pedumq; videtur
Egregius, quem vos uno feciſtis amici
Inſignem ingenio: curſor namque optimus hic eſt,
Qui leucas plus ſex ſcamno decurrit in uno,
Quatuor, aut quinq; ut ſummũ, dum diſputat horas:
Fortunatus item manuum, patienſque laboris
Actor, qui tortum curto ſermone reſumens
Enthymema, manu tot geſtus edidit; ut non
Qualibet in ſcena plures ſibi jure repoſcat,
Qui totos impune dies conſumeret *ingens*
Telephus [1] *aut ſummi plena jam margine libri*
Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes.
Forſitan & flexus truncum qui corporis ornet,
Dedecoretque canam: laterum inclinatio qualis
Dedeceat deceatve: aut qualis denique forma,
Quique modus ſummos nutu coxendicis artus
Leniter, ut prudens ſtatuit natura, movendi.
Namque ego florentes ætatibus, & genus alto
Sanguine ducentes procerum vidiſſe recordor,
In tantum qui ſe declivi corpore deorſum
Projicerent medios; ut centum ferre putares
Annorum incumbens humeris, quod ſpiſſius [2]
Ætna eſt,

1. *Iuvenal. ſat.* 1.
2. Senectus plerîſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut onus ſe dicant Ætna gravius ſuſtinere. *Cic. De ſenect. n.* 4.

Si qua fides ſenibus, minus & tolerabile pondus.
Nec minus a ſummis thoraca revellere coxis
Alter in oppoſitum reſupino corpore viſus;
Nec ſecus ac creſcentem uterum quæ fœmina geſtat,
Abdomen 1 longe reliquis præponere membris.
Quin etiam deprenſi, habitu qui cætera recto
Se tamen agreſti nimium molimine torquent;
Interſiſtentes offenſanteſque ſubinde
Duriter, & vaſto projectu immania terga
Diſcordeſque humeros, nec non incongrua fœdo
Succuſſu latera, & compagem denique totam
Librantes incompoſitis inceſſibus: ut qui
Uerna boves inter, turpeſque adoleverit hædos,
Collibus in patriis & ſolo in gramine villæ,
Nulla incedendi niſi prava exempla ſecutus.
Nec ſunt rari adeo qui ſummo vertice ad imos
Uſque pedes, verubus 2 transfixi hærere colurnis,
Et ſtare induti thorace putantur aheno.
Sic commiſſuræ, ſic nervi, & muſculus omnis
Sic tori, & in collo lumbiſque ac poplite nodi,
Et medium poſtica ſecat quę vertebra dorſum;
Machina ſic omnis curvari ignara rigeſcit.
Non equidem inficior: quoties his obvius aſto,
Continuo trepidum pectus ſacer occupat horror.
Nam feſtæ videor mihi fercula cernere pompæ
Quæ fallente gradu caſum potuiſſe minari,
Grande nefas fuerit gerulis, ac funere diro.

1. Pectus & venter ne projiciantur obſervandum *Quint.* *l.* 11. *c.* 3. ut Montanus, de quo Iuvenal. *Sat.* 4. *v.* 107. Montani quoque venter adeſt, abdomine tardus.

2. Hos ridet Epictetus apud Arrianum *l.* 1. *c.* 21 τί ὑμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με οἱ ἀπαντῶντες θαυμάσωσι. Quid nobis veru quaſi deglutiſſes obambulas? Velim ut me obvii admirentur. Hinc fluxit dictum populare. *voſſ. inſt. or. l.* 6. *c.* 11. *n* 4.

Et ſpectatorum non ulla clade piandum.
[1] Quot porro mihi jam curiones lintre perorant
In medio, & fluctu ſæpe alternante vacillant?
Sed feriunt iſthæc teretes nimis obvia viſus.
Poſtquam autem parte ex omni concinna nitebit
Actio, tum pedibus certas conſcribere leges
Profuerit. Pedibus debetur cura regendis
Non poſtrema: [2] illos nam cætera membra ſequuntur:
Nec recto corpus poſitu conſtare videbis,
Ni bene firma ſitu conſtent veſtigia recto.
Ergo dum ſcenæ prætenta aulæa relinques,
Teque in conſpectum caveæ dabis: incipe primum
Orcheſtra in media firmo conſiſtere greſſu.
Nec pede tange pedem, nec calcem calce fatiga,
Nec tortos in ſe digitos committe, nec ungues
Applicitos plantæ talo poſtpone prioris,
Nec plantam ferre alterius ſola præcipe plantæ.
Hæc turpis ratio eſt: & non magis apta moveri,
Quam quæ diverſas in partes diſſita longe
Crura nimis magno [3] divaricat intervallo,
Et Græcum poſitu deformi [4] lamda figurat.
Sic bene conſtiteris: ſi paulum averſus uterque,
Se tamen haud longe pes reſpicit; atque ſiniſtro
Poſterior retro didicit ſuccedere dexter.
E regione nefas ſibi reſpondere ſiniſtrumque

1. Iunius a Curione patre, dum diceret, titubante petiit, quis e lintre loqueretur! *Cic. 3. de orat.*

2. Πρώτη εὕρηται ἡ περὶ τοὺς πόδας κίνησις, τῆς διὰ τῶν χειρῶν, prius pedum inventa motio quam manuum. *Athen. l. 14.*

3. Varicare ſupra modum, & in ſtando deforme eſt, & accedente motu prope obſcænum. *Quintil. l. 11. c. 3.*

4. Ab eo vitio Cypſeli Corynthii mater & Eteonis conjux, dicebatur. ΛΑΜΔΑ. *Cæl. l. 13. c. 2.*

Et dextrum : ſimul hos vetuit natura moveri ;
Ars vetat hos pariter verſu conſiſtere eodem.
  Hæc ubi rite memor dudum proviſa tenebis :
Perge age, & ingenti nunc ora reſolve theatro
Principio immotus : niſi forte exæſtuat intus
Mens furiis incenſa. Aliquot ſententia verbis
Verum ubi prodierit recte concluſa, juvabit
Inde referre pedem. Rari, dum lingua movetur,
Sint pedibus motus ; motus, dum lingua quieſcit,
Eſto pedum. Tacito dum ducitur halitus ore
Tum, vacuas aures quoniam vox languida fugit,
Tempus erit turpi ſuccumbere neſcia ſomno
Lumina progreſſu, atque habili recreare palæſtra.
  Verum iſta imprimis memori ſub pectore conde,
Non ſimili libranda modo veſtigia, quicquid
Dixeris. Incedunt alio luctuſque, pavorque ;
Atque alio riſus, præcepſque audacia ritu.
Genua labant triſti, protenſa volumina crurum
Audax figit humo, lætus vix libat arenam.
Spes volat, ira ruit, ceu nubem ruperit ignis
Quem gremio algenti dudum complexa tenebat.
Nec pater Anchiſes Æneam paſſibus æquet:
Nec, non antevolet Therſitem pulcher [1] Achilles;
Aut inceſſum habeat grandævi Neſtoris [2] Ajax,
Dum nota inſanis concidit terga flagellis.
  Cætera de genere hoc, dum me calor entheus urget,
Et promiſſa novæ veniunt in carmina vires,
Poſſem equidem memorare : modum ſed forte requiras.
Sit ſatis orantum vitia hæc inſignia noſſe :
Tu melior fuge, quę porro culpata videbis.
  Ille quidem ante alios peccat vitioſior omnes

1. πόδας ὠκὺς *Hom. Il. α.*
2. Furens poſt negata Achillis arma.

Qui

Digitized by Google

Qui primo ingreſſu partem quamcumque theatri
Inſtiterit, plantis premit uſque tenacibus: illinc
Non prius avelli patiens, quam, plaudite, cantor
Dixerit. Hunc credas [1] Apodum de gente creatum,
Sic mandata animo quæ carmina, ſtans gradu in uno
Deproperat: veluti duris quæ ſtirpibus arbor,
Et fibris radicum alte defixa tenetur;
Aut veluti ſolidæ molis de marmore ſignum;
Quod cippo impoſuit manus imperioſa [2] Myronis
Et vetuit, vel ſi de cœlo flammeus imber
Ingrueret, tamen ex illa ſtatione moveri.
Nec vero pauci, queis plumbea crura pedeſque
Marmoreos, ſtupidoque artus torpore rigentes
Non natura dedit; nimium ſed cultus agreſtis,
Et coram populo dicendi rarior uſus,
Infeſtuſve pudor. Stolida hæc conſtantia multos
Quo deceat, ſegnes prohibet convertere greſſus.
Quorum aliquem dictis ſi forte inſector amaris,
Et ſubito durus monitor, Quid mole tua ſtas,
Increpitans, inquam? quid tantum immobilis hæres?
Eia age, quid ceſſas? clavo vel adacta trabali
Membra leva, pigrumq; pedem procul inde reporta,
Non pudet hic horam conſiſtere? Scilicet ille
Vellentemque aures & ſciſſa veſte trahentem
Audiet: at dubitans quamprimum avellere plantam
Conveniat, mox hanc ſurſum, mox tollit & illam,
Atque refigit humo: profert, retrahitq; viciſſim,
Tum nullo alterutram diſcrimine: dein ſimul ambas
Fullonis [3] ſaltu paulum erigit; & modo talis,
Et digitis modo ſe, dubius qua parte quieſcat,

1. Apodes aves hirundinum ſpecie carent uſu pedum, ſemper aut pendent aut jacent. *Plin. hiſt. nat. l. X. c. 39.*

2. Statuarius egregius. Statuis comparat hujuſmodi Rhetores. *Iuvenal. ſat. 8.*

Fullonis ſaltus cum uterque pes modice à terra attollitur, unde fullonicâ didiciſſe arguitur qui ſic ſaltat. *Plaut. in Pœn.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Qua movcatur, agit: demum argutatur ineptes
Atque eodem titubata ſolo veſtigia mutans,
Multum, immutata quamvis ſtatione, movetur.
Sed quid ego hæc autem? quid duro robore natum
Cretatis [1] tanquam pedibus veniſſet in urbem
Nuper, & e fœdis ſcandiſſet pulpita caulis,
Præcipiens moror. Hæc alios præcepta juvabunt,
Queis patiens artis, magis & tractabile corpus.
Namq; haud una pedum nimium pigreſcere culpa.
Eſt qui ſublimis tabulata per ardua ſcenæ
Dum graditur, pede proſubigit ſuppoſtaque tigna,
Impoſitoſque aſſes. Eſt tantum pondus in illo,
Ut pulſu tremefacta pedum proſcenia nutent.
Greſſum alius contra ſic lubricat, ut male preſſas
Sectilibus nolit tabulis divellere plantas.
Aſpice delicias ut quærit, & extima libat
Strata viæ. Tactu forſan ſic mulcet amico
Molle pavimentum, & ſubtili parcit alutæ.
Nec dubitanda fides, culmum ſi calcet ariſtæ,
Liquerit incolumem. Tanta eſt reverentia plantæ.
Aſt mirum, quam diſſimilem natura creavit,
Qui grandem Hiſpano tollens molimine ſuram
Altorum glomerat ſpatioſa volumina crurum,
Bina giganteo declamans [2] millia paſſu,

1. Cretati, id eſt creta dealbati: Solebant ita porro notari e tranſmarinis regionibus advectorum ſervorum pedes; *Plin. l.* 35. c. 18. Hoc eſt inſigne venalitiis gregibus, opprobriumque inſolentis fortunæ: quod & nos adeo potiri rerum vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni à ſenatu jubente Agrippina Cl. Cæſaris viderimus libertis, tantumque non cum laureatis faſcibus remitti illo, unde cretatis pedibus adveniſſent. Eò Tibullus alluſit dum *Gypſatos* dixit pedes; Iuvenal. dum *Albos*.

2. Diſcurſare vero, & quod Domitius Apher de Sura dixit ſatagere, ineptiſſimum: urbaneque Flavius Virginius interrogavit de quodam antiſophiſta ſuo quot millia paſſuum declamaſſet. *Quint. l.* 11. c. 3.

Digitized by Google

Dum paucos recitat verſus. Non hunc magis odi,
Quam caſtigatos pigræ teſtudinis inſtar
Qui numerare gradus ſua per momenta laborat
Lentulus: uſque adeo pede pes vicinior hæret.
Quid qui ſuſpendit librato poplite greſſum:
Et ſola plantarum ſtrepitu ſine lanea figit
Deſuper; ut timidos ad nota cubilia talpas
Si velit inſidiis, & cæco prendere tactu?
Prætereo molli duplicant qui poplite crura.
Hoc ollis ſolitum, quos & ſtatus extulit ingens
Corporis, & nimium diſperſæ in corpore longo
Deſtituunt vires. Nam quos compegit in arctum,
Et ſtrictis nodoſa toris natura ligavit,
Scilicet his amor eſt breviora extendere membra;
Et cum damna aliter nequeant ſarcire figuræ,
Quidquid habent ex articulis [1] oſtendere ſummis.
Fallor, ni ſtudeant noſtros quoque fallere viſus,
Dum pedibus ſubdunt molles e ſubere grallas. [2]
Atque hoc, quodcunque eſt artiſve doli ve, libentor
Condonem pumilis: quid enim non ſe explicet omnis
Quæ plerumque habitat mens parvo in corpore magna?
Et quando non raro habitus depreſſior obſtat;
Quod natura negat, facili ſibi quærat ab arte?
At venia actori dabitur me vindice nulla,
Arte movere pedes qui ſaltatore magiſtro
A puero edoctus, non unquam hanc deſinit artem
Quam didicit; ſaltatq; chorũ extra, tẽpore & omni,
Et quocumque loco, ſeu [3] læta, aut triſtia dicat;

1. In ſummis ambulat digitis eorum more qui mendacio ſtaturam juvant, longioreſque quam ſunt, videri volũnt. *Seneca Epiſt.* 112.

2. Auguſtus etiam calceamentis altiuſculis utebatur, ut procerior quam erat, videretur. *Sueton. in vita. c* 73.

3. Longiſſime fugienda eſt mollis actio qualem in Tityo

Etſi nulla ſuos moduletur tibia ſaltus,
Ni, quia cantillat dum dicit, tibia vox eſt.
Res ridenda quidem, ſed non inviſa: pependit,
Si bene commemini, meritas hoc nomine pœnas,
Et quæ debebat de ſe ludibria nobis
Monte ſuper Claro non unus præbuit actor.
Nec me unquam pigeat riſu ſolviſſe labellum,
Occurret quoties mihi declamator ineptus:
Qui ſi ſtare opus eſt, ſuffultum calce movebit
Supplodetque pedem; ſi pergere, mollia ſenſim
Poplitis inclinat primum internodia; deinde
Crura plicat ſidens; mox explicat, & micat alte
Exurgens: donec ſublatum præpete niſu
Deſuper ad terram corpus demittit; & inde
Nec mora ſubſiliens, iterumq; iterumq; per auras
Ingeminat varios ſine lege ſine ordine ſaltus.
Ut, qui Palladiis cantor memoratur Athenis
Inſaniſſe adeo nimia prurigine cantus;
Ex quo blanda decem tenuit modulamina vocum,
Diſparibus complexa notis quæ muſica ſignat:
Ut juſſus quamvis, quamvis oratus amice,
A cantu nunquam ceſſaret: at omnibus idem
Omnia cantando, quæ vellet cunque referret.
Nec jam aliter quam cantando ſibi poſcere veſtes
Mane novo puerum; dum menſæ accumbitur, eſcas;
Pallia, dum prodire juvat; dum ludere, talos;
Dum quidvis aliud, quam cantibus ille ſoleret.
Cantibus uxori primos narrabat amores,
Cantibus aſtantes fingebat ad omnia natos,

Cicero dicit fuiſſe. Vnde ſaltationis quoddam genus Tityus ſit apellatum. *Quint. l.* 11. *c.* 3.

Quos Sextus Tytius ſecutus eſt: homo loquax ſane & ſatis acutus: ſed tam ſolutus & mollis in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur: cui ſaltationi Tityus nomen eſſet. Ita Cavendum eſt ne quid in agendo dicendove facias cuius imitatio rideatur. *Brut.* 119.

Cantibus

Cantibus aſſurgens intro ducebat amicos.
Cantu quin etiam erranti convicia ſervo,
Cantu delicias laſcivo dicere feli
Suetus erat. Media demum vel in urbe foroque,
Quæ ſecreta forent, quæ publica,quæ nova,primis
Et quæ geſta annis, dicenda tacendaque cuncta,
(Quidquid tu contra precibuſve miniſve moveres.)
Aſſiduo feſſas cantu mittebat in aures.
Quiſquis is eſt, qui te docuit cantare magiſter,
Occupet hunc ravis, ſi vera eſt fama, precari
Conſuerunt pertæſæ hujus cantoris Athenæ.
Tu quicumque leves habilis celebrare choreas,
Compoſitos tantum gaudes dare corpore ſaltus,
Ut numeroſa omnis tibi ſit ſaltatio greſſus.
O quater infelix nimium puer artis amatæ!
Saltandi cacoëthes & immoderata libido
Si ſe ultra extulerit, pariter cave, ſic quoq; tota
Orantem quæ te ſtat circum turba precetur:
Quiſquis is eſt, qui te docuit ſaltare magiſter
Claudicet hic ſemper, magnoque ut juncea niſu
Extulerit catus & numeroſæ more palæſtræ
Membra, ruat præceps, & ſi modo vita ſuperſit,
Proterat offendens inhoneſto tergora lapſu:
Et media irriſus tandem exportetur arena
Aulai e medio,cum magna Tragœdia cives
Extrema longe lateque exciverit urbe.
At quæcunque manu pedibuſq; & corpore toto
Deliquiſſe ſolet dicendi inſueta juventus,
Eſt longus memorare labor, neque dicere verſu
Veſtræ opis ô,fandi doctiſſima turba, Camœnæ.
Nec mihi tantus amor ſua cuique errata docendo
Exprobrare. Vident ſpectantum callida geſtus
Lumina qui deceant: ſatis eſt ſi neſſe [1] decorum

1. Roſcium ſæpe audio dicere, caput eſſe artis, decere:

Et ſervare velint, quibus eſt facundia cordi.
Ipſe ego, nam ſponte hæc non inficianda fatebor,
Sic didici quæ jam doceo, dum nota frequento
Orantum ſuggeſta. Fuit mihi prima voluptas
Scilicet & primæ ſtudium nec inutile vitæ
Conferta in turba pendere loquentis ab ore;
Dumque animus ſpecioſa haurit conſultaque dicta,
Et numeris aures & lumina paſcere geſtu.
Jamque opus ordibar ſummus cum rite Sacerdos
Liligeræ Themidis medio, de more, Novembri
Sacra recludebat dicundo limina Juri
Lamonius.[1] Quanta in roſeis tum gratia labris,
Quo ſe tum geſtu, quo ſe tunc ore ferebat?
Nec minus & patrij Natus non degener oris
Lamonides, regni eloquio qui jura tuetur,
Auditus; magna ingentem dum perſonat aulam
Voce: ſtupent omnes, arrectiſque auribus aſtant.
Hoc ſpecimen dicendi, hæc exemplaria primum
Ut vidi, ut noſtro dixi pars magna labori
Demitur? Ecce mihi, toties quæſita, neque ante
Viſa, Oratoris ſpecies & forma loquendi
Ante oculos. Tu Rhetoribus quæ ſæpe rogata
Muſa meis Latio perſcriptas carmine leges
Jamdudum eloquii debes; nunc debita perge
Munera victuris, dum fas, exolvere carthis.
Illud Suada velit Clarii quæ in vertice montis
Præcipiens fingit decora ad ſuprema Senatus
Patricios juvenes: vel, ſi Deus annuit olim,
Grande miniſterium, ſacri ad præconia verbi
Inſtituit Chriſti ſignatam nomine pubem.
Ergo age & incœptum mihi perfice Muſa laborem.

tamen unum id eſſe quod tradi arte non poſſit. *Cic. l. 1. de Orat. n. 66.*

1. An. 1674. Dum primum coacto poſt autumnales inducias ſenatu diceret.

En gentis decus Angariæ tibi numine dextro
Spondet opem, ſpondetq; ſuo de nomine nomen
FERNANDUS : priſci qui Mæcenatis ubique
Et famam, &, meritis ingentibus, obtinet inſtar;
Quod grati celebrent æterna in ſæcula Vates.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTIO ORATORIS,

LIBER SECUNDUS.

DE VOCE.

ACTIO ſi niteat geſtu ſpectanda decoro,
Non tamen exhauſtus labor omnis. In ardua ſcenæ
Orandi quemcumque trahit laudata cupido,
Huic quoque vox fingenda: 1 penes vocem omnia ſunto.
Gallicus Alcides, populos vinxiſſe catenis
Dicitur (actor erat, tantum cui Gallia nomen
Addidit) aſt uno pendebant ore catenæ:
Et qua voc iter patulæ dabat auris hiatus,
Annulus huc ſeſe mollito ductilis auro
Inſinuans mentes implexaque corda trahebat.
Vox igitur geſtu utilior. Nec pulpita quiſquam,
Sacra, profana, actor ſcandat me judice, quamvis
Concinnoque placens geſtu, greſſumque decorus,

1. *Cic. 3. de orat. n. 222.* Ad actionis autem uſum atque laudem, maximam ſine dubio partem vox obtinet.

Neque enim tam refert qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quam quomodo efferantur. Nam ita quiſque, ut audit, movetur. *Quint. l. 11. c. 3.*

2. Ogmius ſeu Celticus Hercules, eloquentiæ ſymbolum.

Ni didicit voci quæ ſint præcepta regendæ.
Hoc vero, noſtræ quando pars altera curæ eſt,
Expediam. Tu Calliope, [1] ſi Jupiter æquus.
Clariſonam ob vocem Regum ardua dicere facta
Grande decus, propriumq; dedit per ſæcula nomen;
Huc ades ô, poſtremam operis ne deſpice partem.
Quiſquis is es, quem roſtra vocant, quem ſpiſſa theatra:
Jam te compoſito moderari corpora geſtu
Edocui vates: nunc mollia fingere labra
Eſt animus. Si lex manibus pedibuſque movendis
Rite olim poſita, expertum docili ore magiſtrum
Perge ſequi. Non te per longa exordia ducam
Cunctantem, & fandi quæ ſint elementa tenentem.
Hæc ſenior Vates, longe celeberrimus unus
Ille fuit Vatum, ſuper iſto monte [2] docebat
Me quondam puerum. Si rite audita recordor:
Ora, puer, tantum rictu diſtende patenti,
Et vocalem animam recluſis funde labellis,
Dicebat, ſonet A: mihi littera prima ſonabat,
Dum ſenis ad nutum puerilia labra figuro.
Hic rurſus, primis linguam tantum apprime labris,
Exeat E: ſonat E, dum juſſus rumpitur ore
Halitus. Aſt iterum malam dimitte ſupremam,
Inſtabat, dabit I: ſubito compreſſa ſuperne

pingebatur ut in Alciati emblemate 180. cujus hæc explicatio.

Quid quod Lingua illi levibus trajecta catenis
Queis fiſſa faciles allicit aure viros.

¶ 1. Calliope una Muſarum, quæ à vocis ſuavitate nomen accepit: & propter illam vocis excellentiam. heroico carmini dicta eſt præeſſe. *Virg. in Epig.*

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Imo, Calliope, ait Phornutus, eſt rhetorica ſuavi voce ac dictione venuſta: per quam rempublicam adminiſtrant, & populum hortationibus ad id quod cupiunt, ducunt.

2. In Colleg. Claromontano Paris. S. I.

Digitized by Google

Lingua ſonat, datur I, dum pareo. Juſſerat idem
Tenuem in ſe labris orbem ſinuare reductis:
Ore rotundato ſimilis mihi littera formæ,
Seu jam picta, oculos ferit O, dum verberat aures.
U quoque diducit buccas hinc inde tumentes.
Poſt hac apparent [1] labiorum margine in ipſo
Conſona quæque ſuis elementa exſcripta figuris,
Dum jubeo celeres mandata faceſſere malas.
Sed neque prodieris primæ mihi tyro loquelæ,
Nec ſum ego qui doceam, quæ vix ex ubere raptam
Anchiſæ ſobolem nutrix [2] Cajeta docebat,
Multo ante immiſſis quam Troja pateret Achivis.
Cum jam bulla [3] tibi collo direpta, [4] nuceſque
Jam tibi de manibus matura excuſſerit ætas,
Exorſis graviora dabo præcepta relictis.
Principio orabo [5] Superos, tibi congrua textu
Sint firmo latera, & pulmo thorace ſub amplo,
Ingentiſque capax animæ, faciliſque referre

1. Litteras omnes certa labiorum adductione aut remiſſione, preſſu oris, & linguæ motu efferri; & à curioſis rerum illarum ſpectatoribus citra aurium operam viſu percipi poſſe tradunt. *Fr. Petra. Iſ. Pont. Vives in dialogis. &c.*

2. Æneia nutrix *Virg. l. Æn. 6.*

3. Bulla aurea erat inſigne puerorum prætextatorum, quæ a pectore dependebat, ut ſignificaretur eam ætatem alterius conſilio regendam: dicta à βȣλὴ quod eſt conſilium: aut quod eam partem corporis contingat, in quo naturale manet conſilium *Ioannes Britannicus* in illud Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 33.
Dic ſenior bulla digniſſime.

4. Luſus item nucum ſoli puerili ætati convenit, grandiori indecorus eſt. Idem Britan. In illud Perſii *Sat.* 1.
Et nucibus facimus quæcunque relictis.

5. Vox eſt percuſſio aëris inſpirati ad vocalem arteriam moti ab anima, quæ eſt in illis partibus. *Ariſt. l. 2. de anima* Quare hæc ſunt inſtrumenta naturalia vocis latus, pulmo, palatum, guttur, lingua. *Boetius addit. 2. in l. de interpret.*

In fauces, quas jam preſſu calefecerit auras.
Nam ſi præterea beneclauſo lingua palato,
Nec ſit ſcabra nimis, nec pinguior. Eia age, vinces,
Seu tibi conſultis replenda eſt Curia verbis
Oranti cauſas; regali ſplendida luxu
Actorem ſeu ſcena; vel altior exedra poſcit,
Pontificumque [1] libros, & Divûm arcana legentem.
Quidquid eris, ſpondet curſus natura ſecundos,
Ingredere o, nec ſum venturi improvidus autor.
Autor ego audendi quod poſceris: omine læto
Subvenies operi. Quod ſi vox abſona ſurdas
Deſtituit fauces: heu, contra abſiſte moveri.
Quid circum te quaque juvat prenſantis amici
Elogio & notam multa prece cogere turbam:
Quæ tibi purgatam Midæ [2] licet afferat aurem,
Cernere te poterit, ſed non audire loquentem.
Quare multa gemens & niſu languida inani,
Poſt obſervatæ faſtidia longa loquelæ,
Hoc prenſatori referet ſubtriſtis amico:
Suſpicor, atque equidem credo divina locutum:
Sed numero ex omni qui circumfuſus hiabat,
Non exaudito fruſtra dum diceret ore,
Id queat auritus teſtis deponere nemo.
Nil vires ultra: dum res eſt integra, curent
Quid valeant, quid non, certis prædiſcere ſignis,
Quorum laus agitur. Porro hæc longe optima ſigna:
Spiritus, & laterum compages, & ſonus oris.
Tu cave contemnas: potius memor, an ne rotundum
Os tibi ſit, pulmoque animoſus, & ilia tendi
Quæ magno dudum evaleant infracta ſonore,

1. Pontificales libri, in quibus ſacræ cerimoniæ continentur.
2. Nota fabula de rege Mida ſuorum dicta per auſcultatores inquirente. Ad quam alluſit Perſius. *Sat.* 1. 121. Auriculas Aſini quis non habet.

Expe-

Digitized by Google

Experiare. Artis ſunt hæc primordia noſtræ.
Si cui molle latus, gracilis ſi vocula tantum:
Non illum ſuggeſta petunt. Hic dicere natus
Matronarum abacos inter ſpondæque receſſu
In medio, dubiæ quis ſit rumuſculus urbi:
Junctus ubi ſua caſtra locet Germanus Ibero:
Quæ bellum, quæ ſpes promittat denique pacem:
Quæ nubat, qua dote: dedit quibus aula ſenatum
Ante, etiam [1] nummus quos non ſuppleverit, annos.
Præterea hiſtorias ſero dormire vetantes
Ante focum, primæ dum fallit tempora noctis,
Hic recitet coram pueris & conjuge fidâ.
Inſuper illuſtres [2] Academi admiſſus in hortos,
Argutumque Epigramma legat, mollemq; Elegiam,
Et blæſa melius recitandos voce Phaleucos.
Verum Pancraticæ [3] ſtudia irrequieta palæſtræ
Occupet elumbis nemo: nemo oris honore
Magna ſonaturi quem non natura beavit,
Occupet ingentis vocalia munera Suadæ.
Hæc iterumq; iterumque tibi prædicta memento.
Non alia ſe dote magis facundia jactat,
Quam vocis. Suadam ſi vox defecerit una:
Ingenium licet hanc fundo dotaverit omni,
Æde procos vacua longum plorabit abeſſe,
Algebitque intus vel dum laudabitur, & ſe

1. Edicto regio cautum eſt ne quis ſenator fiat ante annum 27. ætatem tamen ſupplet nonnunquam gratuita vel redempta pretio licentia.

2. Academia locus arboribus conſitus prope Athenas ubi Philoſophiam primus docuit Plato. Quo item nomine Tullius villam quandam ſuam apellavit: & jam loca, ubi doctorum Conventus habentur, Academiæ dicuntur. Nomen ab Academo heroe ductum eſt, ut Eupolidi placet.

3. Pancratium ſeu pentathlum, quod latine quinquertium dici poteſt, certamen gymnicum curſu, diſco, ſaltu, lucta, & pugilatu.

Digitized by Google

Annum dum comet, paucis ambita ſeneſcet.
Ergo illud primum, quod Diis gratabere, munus,
Provida vocalem [1] ſi te natura creavit.
Rarum munus. At ante alias [2] vox optima voces:
Quæ cum lene ſonet, tamen auris tympana pulſu
Increpat arguto: necnon verba omnia volvit
Per concham cochleamq; & tortum flexibus alveum
Diſtincte modulans. Procul immodulata, maloq;
Inſincera ſono, quæ vox auditur ab alvo
Uſque volutari, juguli eluctata malignum
Donec iter rumpat. Procul & raucedine guttur
Ære velut fiſſo quod ſtrideat, & levis auræ
Flatus uti, raros quæ ſtringant ſibila dentes
Murmura, & obſcœnum clangens ſeu buccina naſus.
Nam neque tu vitioſa feras, nec reddere cultu
Poſſe putem meliora: iſtis quicunque laborat
Edico propere [3] mutas deſcendere ad artes.
Quanquam naturam meliore refingere cultu
Artis opus, nec ſucceſſu memorabile nullo.
Annon flexanimæ quondam ſtupuiſtis Athenæ
Facundi linguam Demoſthenis? At male denſo
Pingui obſeſſa tamen [4] ſtipatis faucibus hæſit.
Illa diu, poſtquam genitalia linquere clauſtra
Obſtetrix juſſit puerum. Nec tempore parvo

1. Ac vocis quidem bonitas optanda eſt. Non enim eſt in nobis. *Cic. Orator.* 59.

2. In voce magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem laudat *Aut. l. ad Heren.* 20.

3. Mutæ artes dicuntur medicina, & aliæ quibus non eſt opus Eloquentia. *Virg. l.* 12. 397.
Phœbo ante alios dilectus Iapis &c.
Scire poteſtates herbarum artemque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

4. Plutarchus in vita, ait ſcabra & inexplanata lingua, exili voce & anguſto ſpiritu fuiſſe.

Digitized by Google

Iſæi [1] grandes inter dum creſcit alumnos,
Rhetora, Rhetoricamque apto nequit ore ſonare.
Lævigat ars demum blæſam pinguedine linguam,
Et melior vitium naturæ induſtria ſanat.
Quo ritu, quo more? Nefas non dicere, quando
Mollis ad exemplum poterit ſpectare juventæ.
Nempe imperfecti curator ſedulus oris
Verſat inæqualem lingua motante [2] lapillum
Declamans. Tum quas oleo molliverat ante
Extendit fauces, ubi perſonat ardua montis
Mane novo jejunus & integer: Ast ubi voci
Libera jam patefacta via eſt, ſe vertice raſo
Ad medium, & medii vulſa lanugine menti
Abdit in arcanæ ſubluſtria [3] concava cellæ,
Unde exire pudor, niſi barba & crine renatis.
Hic vero ſtudium eſt animæ imperitare rebelli,
Perque gradus omnes atque inconceſſa loquelæ
Multa reluctantem ſenſim deducere linguam,
Donec inoffenſæ vox plenior aſſonet auri.
Ni faciat, nunquam patriis avertere muris
Unius eloquii poſſit virtute [4] Philippum,
Nunquam bis meritæ defendere jura [5] coronæ.
Quæ cum ſic fuerint uſu præſcita magiſtro,
Macte animis: vel ſi moles ignava saginæ
Oppreſſam retinet ſub iniquo pondere linguam:
Seu nimium celeres quatit inconſtantia malas;
Ferrea ſeu nimium riget, & nimis ampla dehiſcit

1. Iſæo primùm præceptore uſum, licet doceret Iſocrates.
2. Balbutiem inditis ori calculis, & locorum arduorum aſcenſu anguſtias ſpiritus emendaſſe.
(Photius addit oleo fauces & alios vocis meatus unxiſſe.)
3. Subterraneam ſibi cellam ædificaſſe, ibique duos aut tres menſes raſa capitis altera parte fuiſſe.
4. *Diodorus Siculus l. 16. Bibliothecæ hiſtoricæ.*
5. De qua celebris oratio contra Æſchinem pro Cteſiphonte.

Et tinnit nimium exilis, nec libera vox eſt.
Nonne vides ſulco ut tritus ſplendeſcere vomer
Incipit: ut gladius ſcabie & ferrugine ſalſa
Exuitur pingui tinctu purgantis olivi:
Cotis ut affrictu teli gracileſcit acumen.
Sic rigidam flecti, fuſcamque niteſcere, puram
Sic labis tandem ingenitæ mirabere vocem.
Si te autem vena eloquii meliore beatum
Ventoſo invitat ſuccedere gloria curru
Quo ſuggeſta petas: populi expectante corona,
Si jam pro foribus pennatos fama jugales
Sternit agens, crepitantque rotæ temone reducto:
Ne Phaetontæus maneat te denique caſus,
Siſte, precor; pauca hæc &, queis te demoror, audi;
Ante manu quam difficiles moliris habenas.
Non ſatis eſt vitioque carens & libera fandi
Copia, ni voci mens ingenioſa regendæ
Præfuerit. Nam grandiloquum poſt terga relinquit
Sæpe alius qui ſcit conceſſis cautius uti.
Quæ porro cautum reddant nunc ordine dicam.
Imprimis facito te turba exaudiat omnis,
Quam magna eſt. Decet huc primã cõvertere curã.
Quare oculis metire locum, dum pulpita primum
Summa tenes: & vox qua parte offenſa reſultat
Undique, in alterutram qua parte reflectitur alam
Contemplator: & huc, melius pulſa unde reclamant
Septa loci, diſpone animam. Fuge marmora ſurda,
Et quæcunque ſilent mutis ingrata columnis.
Hæc ubi: jam quantum ſatis eſt contende loquẽdo.
Non eſt ventoſo pulmoni parcere tempus:
Nec pudor undanteſque genas, fumantiaque ora,
Et minus e ſpeculi compoſtos lege capillos,
Igneſcente animo, ſpectanti oſtendere turbæ.
Immo age, vocem urge, dum æquo diſcrimine in omnem

Se tribuat partita, atque omnem perſonet ædem.
Ni facis, elumbem vel pigrum nomine dicet,
Ultimus & fugiens ſenſim te deleret ordo.
Certa fides: falſi monitor nec credulus adſum.
Lectius[1] ecce dolet vacuas ſeſſore cathedras,
Et prenſat nucis emptorem piperiſque butyrique,
Ut gratis ſedeant: ſed nec retinere fugaces
Sic potis eſt. Vocem tu tantum attolle, tenebis.
Officium vocis, nullo renuente, putatur
Ferre animi commiſſa leves mandata per auras.
Officioſa parum, nec ſat memor illa decori,
Quæ nec iter peragit juſſum, nec convênit aures,
Queis miſſa eſt arcanum animi deferre loquentis.
Protenſo quid enim latere & cervice ſupina
Hærentem medio deducam tramite vocem
Accerſens longe. Potius me, me illa requirat:
Me, me conveniat mihi quæ directa: ſuperba eſt
Si nolit; vel ſi nequeat, temeraria vox eſt.
Jure alius nimium obtuſæ ſibi conſcius auris,
Colligit inſerto fugientia murmura cornu;
Et tenues lævi ſtrepitus exaggerat ære.
Non ego. Sic ſolitum: immotus rectuſque ſedebo.
Obvia non unquam voci mea prodeat auris.
Plus ſatis indulget contra imprudentibus auſis,
Quæ præter juſſum ſtulto vox impete fertur
Indocilis tenuiſſe modum. Crepitantia vulſis
Olim porticibus rumpens ſubſellia voce
Carneades,[2] ſubito juſſus deſiſtere, voci
Pone modum dixit. Vocis modus eſto, locuſque
Auditorque tuus, monitor reſpondit amicus.
Voce igitur ſi forte minor tibi panditur unquam
Dicturo locus. Ah! ſi qua eſt prudentia, parce

1. Lectius apud Martialem *l.* 5. *ep.* 15. deſignator, id eſt, ſubſelliorum & ſellarum cuſtos in ſpectaculorum celebritate.
2. Ita Laertius. *l.* 4. *c.* 9.

Digitized by Google

Parietibus nimium anguſtis, circloque minori
Inſultare. Capax non totius area vocis,
Da quantum ſatis eſt. Poſitas attingere metas
Curſor amat, quantum campi jacet, aſpice nitens
Ut pede decurrit propero: ſed linea curſum
Extremo reprimit ſtadio, nec tenditur ultra.
Eſſe quid hoc memorem, ſtulta dulcedine captus
Quinque pedes latam vexat [1] Peſcennius ædem
Clamator. Vitrum, quod commiſſura revulſum
Plumbea deſtituit, jam diſſilit. Ecce feneſtra
Dat ventis aditus. Illac ſubit aſpera ravis.
Nec ceſſat clathros, queis ſe diſcernere plebi
Veſtalis [2] ſuevit, boreali tundere flabro
Vociferans: præ ſe puerum vult [3] Stentora dici.
Illum exclamantem procul hinc, quem fervidus axis
Quadrupedante vehit ſonitu protractus equorum,
Territus audivit vector: juſſitque quadrigas
Hoc magis urgeri. Vocem audivere quadrigæ
Hinnitumque dedere: alios ſed non ego plauſus
Audio. Quippe intus quotquot ſedere Quirites
Jamdudum ceris clauſere fidelibus aurem;
Lõge aliam ob cauſam, quam cur, dum littora præter
Sirenum vehitur, cautus ſibi clauſit [4] Ulyſſes.
Sed nimius quot habet clamãtum incõmoda niſus,
Quot ferat & vocis moderamen commoda ſecum,
Qui ſapit alterius malit prænoſcere damno,

1. Peſcennius clamoribus importunis celebris orator. *Sueton. in Aug.*

2. Veſtales in urbe cuſtodiebant foci publici ignem ſempiternum. *Cic.* 3. *de leg.*

3. Stentor græcorum omnium vocaliſſimus qui 50. hominum clamorem adæquabat. Hunc Hom. *Il.* 5. χαλκεόφωνον vocat.

4. Nempe, ne carminis dulcedine cum ſociis ad infames Sirenum ſcopulos raperetur, aures cera occluſit. *Horat. Juvenal. &c.*

Digitized by Google

Vel citra damnum alterius me noſſe magiſtro,
Quam pœna demum ipſe ſua probroque doceri:
Nam ſupra vires dat vox intenta [1] pipitum,
Qualem criſtato gallina admorſa marito
Dat corte in trepida. Quid tantum exulcerat aures,
Quam ferus eliſæ ſatuo luctamine vocis
Tinnitus, ſtridorve? Micant hinc auribus omnes,
Concuſſoſque agitant querulis clamoribus artus.
Auriculas ſeu quis telo terebravit acuto
Hinc atque hinc Numeroſus ad hæc venit agmine morbus,
Clamatorem ipſum vexata relinquere roſtra
Qui cogat. Cupidum ſic deſtituiſſe clientem
Dicitur hircinos jactans in pectore folles
Fimbria [2], dum inſonuit. Meritas at pendere pœnas,
Ingemuit nemo. Pro voce inamabile murmur
Quod ſupereſt, & clamandi cacoëthes in ore,
Quod vidiſſe putant, rabulæ riſere minores.
Non ita, qui ſimilem profuſo ſanguine culpam
Eluere eſt viſus. Riſum indulgentia preſſit,
Et potuit lachrymas miſerantum caſus habere.
Quippe ubi rupta gravi [3] patuit conamine vena,
Cernere erat proprio manantem ſanguine buccam,
Sputaque purpureis primum horrida fundere guttis,
Mox largo undatim vomitu ejectare cruorem.
O Superi! talem, ſi fas, avertite peſtem;

1. Vulgo Coccyſmum vocant, ab immaturo gallorum cantu ait Iul. Pollux *l. 5. c. 14.* qui gallorum proprium eſſe ait κοκκύζειν autoribus Demoſthene & Hyperide.

2. Fimbria, propter inconditum clamorem, clamator appellari ſolitus. Hunc Cicero *in Brut.* Inſanum vocat, quod omnia magna voce diceret.

3. Id Zoſimo liberto ſuo contigiſſe teſtatur Plinius Junior.

Seneca l. de brevit. vitæ quam multorum eloquentia, Quotidiano oſtentandi ingenii ſtudio ſanguinem eduxit.

Digitized by Google

Aut fer opem orantum Deus ô, Deus alme medentûm:
Si quando incautis in ſe committere tantum
Contigerit. meruit promptam labor iſte ſalutem.
Sufficit attentas ſi vox allabitur aures.
At bene præſcriptam ſolet hæc contingere metam,
Quæ neque pigreſcit, nec præceps fertur eundo.
Eſt cui tarda riget duro gingiva metallo.
Pondus ineſt mento. Labor huc convertere & illuc
Quas ſolido credas adamante rigeſcere malas.
Unde interſiſtens numeratis [1] ſyllaba prodit
Articulis, mediam dum clepſydra depluit horam,
Ad ſummum [2] bis dena vides procedere verba.
Verba tamen pennata [3] vigil cantavit Homerus,
Ocyus ut cupidas poſſint ſe ſiſtere ad aures.
Quis ferat auditor vulſis ſic repere pennis
Aeris & linguæ ſegni ſub Rhetore prolem?
Nec vitium aut pœna eſt ſimplex. hic permolit ore
Verba truci, [4] nucis ut frangat ſi forte putamen.
Strangulat hic ſtrictis vix nata vocabula labris.
Suffocat preſſu juguli crudelior alter.
Hic tantum oſtendit: mox dimidiata reſorbet.
In Zephyrum obverſus, genitalis ſemina ut auræ
Concipiat, gemit enitens, & parturit alter.
Cernis anhelantem? [5] medio ſuſpiria nixu.

1. Vt eſt neceſſaria verborum explanatio, ita omnes computare & velut annumerare Syllabas moleſtum & odioſum. *Quint. l. 11. c. 3.*

2 Ita Cinna, de quo martialis *l. 8. epig* 7.
Hoc agere eſt cauſas, hoc dicere Cinna diſerte.
Horis Cinna decem dicere verba novem.

3. ἔπεα πτερόεντα *Ibid.* 11. *Homerus*, quem quandoque dormitare ait horatius. *de arte v.* 359.

4. Seſtius Pinarius adverſario id dixit per jocum, frange prius nucem, tum dices.

5. Hæc verba anhelata vocat Craſſus apud Tull. 3. *de orat.* 23.

Digitized by Google

Tot dabit, effœtus tot perferet ore dolores;
Quot ſuſpiria, quot ſævos dat ferre dolores,
Quas Lucina gravi diſtendit pondere matres.
Verum auditorem torquet conatibus iſtis
Infelix ſtudiorum & fandi incommodus autor.
Solus hic audiri meruitque ſoletque libenter,
Cui levis orandi labor eſt, & prompta facultas.
Nil tamen hic quidquam nimium. Quippe omnia iniquo
Sunt extrema loco. Cui lingua [1] volubilis, ille
Non erroris egens culpaque remotus ab omni
Sentiet, undantes linguæ ſi immittat habenas.
Sæpe orator enim rapido torrentior ore
Gyrum extra & rectæ fines rationis aberrat,
Ut celer [2] Hatterius: cujus ſufflamine currum
Auguſtus medio ſiſti ſermone jubebat
Nequicquam. Pulmonem haurit properatio, vocem
Dein intercidit, crebro tum plauſa tremore
Ilia conquaſſat; quodque his affine putabis,
Plenis ire jubet turmatim verba labellis:
Sed ſibi turba obſtat, nec iter dat copia. Qualis
Siſtit ad os verſæ circumflua lympha lagenæ.
Non loquor, ut mentem præter ſententia fertur
Deproperata nimis. Tantum meminiſſe juvabit,
Rorantis quod agros cæli magis imbuit humor,
Quam quod nube ingens ſciſſa ruit agmen aquarum.

1. Nec volubilitate nimia confundenda quæ dicimus: qua & diſtinctio perit, & affectus, & nonnunquam etiam verba aliqua ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vitium nimiæ tarditatis. *Quintil. l.* 11. *c.* 3.

2. Hatterii curſum ſuis temporibus oratoris celeberrimi longe abeſſe ab homine ſano volo. Nunquam dubitavit; nunquam intermiſit, ſemel incipiebat, ſemel deſinebat. Illum feſtinatione nimia præcipitantem cum videret Auguſtus imperator, elegantiſſimo acroamate, ſufflaminandus eſt, inquit, noſter Hatterius. *Seneca epiſt.* 40.

Fors etiam proſit teneræ monſtrare juventæ
Dicendi nota ſpectandam in imagine formam.
Fluviorum regi Oceano dum Sequana portat
Vectigalis aquæ fluctu famulante tributum,
Itur perpetuo. Mora nuſquam ſicca madentis
Strata viæ, glaucamque oculis oſtentat arenam.
Unda prior nec enim expectat ſe pone ſequentem,
Nec primæ ſe poſterior ſuperinjicit undæ
Ante vicem veniens. Sic fas æquabile flumen
Eloquij manare, pigra ut molimina nunquam
Verba ſecunda vetent propius ſuccedere primis:
Nunquam cogat amans celeres violentia lapſus
Ante locum capere, & primis inſtare ſecunda.
Quanquam non ratio eſt utriuſq; ſimillima fluctus.
Nam linguæ requies datur, & mora libera fandi
Abruptum quandoque ſinit ſubſiſtere flumen
Eloquii. Verum apta moræ quis tempora norit?
Vocalis menſura animæ non omnibus una:
Nec modus eſt celerare unus, vel ſiſtere vocem.
Quemque ſuus doceat pulmo nimiumq; parumq;
Inter quid poſitum juſto moderamine cedat.
Tu ſeceſſum inter ſcribendique otia, primum
Experiens id noſce. [1] Solet ſententia in orbem
Vulgo ducta trahi: nec fas dum ducitur orbis,
Præcipere ignavam laſſata voce quietem.
Quantum ergo valeat requie ſine ſpiritus ire,
Tentat o pulmone proba: nec longius ito,
Dum ſcribis. Plenam ſonus indicat ille quietem

1. Obſervandum etiam quo loco ſuſtinendus & quaſi ſuſpendendus ſermo ſit (quam græci ὑποδιαστολὴν vel ὑποστιγμὴν vocant) quo deponendus. Sed in ipſis diſtinctionibus tempus alias brevius, alias longius dabimus. Senſus enim ſunt alii atque alii, & ſicut una circunductio eſt, ita paulum morandum in his intervallis, non interrumpendus contextus. *Quint. l. 11. c. 3.*

Obtento jam fine: tibi ſonus indicat ille
Prima, ſecunda viæ dum pars decurritur; & dum
Tantiſper medio reditura oratio gyro
Se torquens ſiſtit. Sunt hæc arcana ſonorum
Ante tibi meditanda. Quibus non abſona dicam
Clarius. Ad doctas ſententia labitur aures
Membratim. ſolet hæc oculis diſtinguere membra
Orbe nigro punctum, ſubtili aut virgula ductu
Interius modice contorto: fregerit arcum
Ceu quis, & extremum ſenſim tenuarit acumen.
Scriptorum ſic uſus habet. Tu voce fideli
Atque animâ ſequere, orator, diſcrimina doctis
Conſignata notis. Imprudens ſcriba revellat
Hæc tantum aut variet: mens vſa interprete viſu
In falſum ruit, & tenebris caligat obortis.
Non ſecus hæc nitidæ poſita intervalla loquelæ,
Quæ quanta eſt rerum inter ſe diſtantia; tantum
Suſpenſus preſſo metitur ſpiritus ore,
Dempſeris: auditu mens uſa interprete deerrat.
Uſque adeo in parvis momentum vertitur ingens.
Fallor? an uſus erit quæ fors oblita monere,
Ut longis brevibusque modis tibi ſyllaba quanta eſt,
Tanta ſonet: nec ſi horridior ſit littera, lenis
Mitiget accentus; ſi tenuior, aſperet acer.
Verum iſthæc pueris ſenior Ninivita recantet:
Auris judicium tantum vereare monebo.
Immemor accentu peccet vel [1] Roſcius uno,
Metirique piger ſua per diſcrimina verbum,
Quod breve, producat; quod longum eſt, contrahat: auris
Judicio reus eſt. Nec cauſam dicere tempus,
Nec petere errato veniam datur. Haud mora, talis

1. Perfectus hiſtrio de quo. *Cic. l.* 1. *orat.* 130. Roſcius hoc jam diu eſt aſſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur.

Roſcius inceſſum, vocemq; ac cætera, qualis
Antehac viſus erat ſemper tibi Roma, cachinno
Reſponſare ſibi pulvinum [1] audivit equeſtrem,
Et riſus licet inſuetum riſiſſe [2] Catonem
Cum Patribus, ſellaque ſedet qui Conſul eburnea.
Quid levis in plano populus, niſi carmina fallunt
3 Bilbilici, naſum qui Rhinocerotis habebat?
Nec Lugdunenſem [4] Rhetor pallebat ad aram
De nihilo: fari incipiens nec Tullius, & qui
Tullius alter erat Latiis Hortenſius oris,
Contremuere metu turbati pectora vano.
Hic poſuit frontem, quem non reverentia tangit,

1. Stabat populus Romanus dum ſpectaret ludos, ſedebant ſenatores & equites Sedilia autem equitum pulvinis inſterni, vel pulvini plumei ſimilitudinem habere ſolebant: ait Britannicus in illud. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 154.

Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de pluvino ſurgat equeſtri
Cujus res legi non ſufficit.

2. Cato propter ſuam vel inter ſpectacula ſeveritatem actoribus formidabilis, unde Martialis *l.* 9. *epig.* 221. *in Epitaphio Latini.*

Qui ſpectatorem potui feciſſe Catonem,
Solvere qui Curios Fabriciosque graves.

Hujus item auſteritatis in ſpectando meminit idem *l.* 1. *in epiſtola, & Epigr.* 3.

Cur in theatrum Cato ſevere veniſti.

3. Martialis *l.* 1. *ep.* 3.

Majores nunquam ronchi, juveneſque ſeneſque
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Raderus ſic exponit, naſus ergo Rhinocerotis nimiam ridendi, carpendique libidinem & licentiam ſignificat: & ſane naſum ſubdolæ irriſioni dicavere veteres. *Plin l.* 11. *c.* 39.

4. Lugduni templum fuit Auguſto Cæſari ſacrum, ad cujus aram præcipuam ab Caligula, teſte Suetonio, inſtitutum fuit certamen græcæ latineque facundiæ, graviſſimis pœnis in eos, qui vincerentur, conſtitutis. *Iuvenal Saty.* 144.

Palleat ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Non

Non formido, ſimul ter mille patentibus aures
Alveolis vidit. Nimium ſecurus ad alta
Per medios fluctus ſpectantum [1] pulpita tendis:
Ni longus mentem intrepidam firmaverit uſus,
Et jam nota regat tritus veſtigia callis,
Cui ſuper & veteres faciant umbracula palmæ:
Ah demens! jam inde explodi meruiſſe videris.
Nunc age moroſæ tollant quæ certius auri,
Quæque ſuperba acuant faſtidia, dicere tempus.
Aſpera tractantum manibus quod vimina [2] ruſci,
Sardoï ruris [3] quod amarior herba palato,
Turbida quod nari [4] Camarina, & per loca ſola
Portentoſæ oculis ſpecies eſt obuia larvæ:
Hoc reor, hoc teneræ ſonor eſt inconditus auri.
Quocirca non ulla viris vigilantia deſit,
Multa quoque ut ſanam commendet gratia vocem.
Nam quid proficimus, ſi nos habet unicus ardor,
Integra, nec nimium vel concita, vel pigra plenis
Verba efferre ſonis? ſuper his addenda voluptas.
Scilicet, ut frangat conducta ſedilia ſeſſor,
Si quandoque diem lætæ promiſimus urbi,
Ut quondam ad platanos [5] Frontonis Statius. [6]
Illuc

1. Volo eum qui ſit dicturus, & ſollicitum ſurgere, & colore mutari, & periculum intelligere: quæ ſi non accident, etiam ſimulanda erunt. *Quintil. l. 12. c. 5.*

2. Ruſcus virgultum eſt acutis & pungentibus foliis.

3. Sardonica herba ſimilis apiaſtro. *Virg. Ecl. 7. v. 42.*
Imo ego ſardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco.

4. Palus Siciliæ teterrimi odoris, ſi quidem moveretur. De qua conſultus Apollo reſpondit μη κινει Καμαρίναν.

5. Locus frequentiſſimis recitationibus celebris. *Juven. Sat. 1. v. 12.*
Frontonis platani convulſaque marmora clamant.

6. Statius autor Thebaidos, *Iuvenal. Sat. 7. v. 82.*

H

Denſis quippe viis vidiſſes currere dictam
Ante horam impranſum, magnaque libidine civem,
Dum fremit expectans deſerta [1] Codrus in æde
Cui recitet. Cur ſors geminis non æqua Poëtis?
In promptu cauſa eſt. Memini ſic ſcribere vatem:
Curritur ad vocem jucundam & carmen amicæ
Thebaidos: rauci oderunt Theſeïda Codri.
Et dubitet placitam ſibi quiſquam affingere vocem
Præterea? Sed enim juvat hoc ante omnia: crebro
Si flexu interdum vox ſit diverſa; neque una,
Uniuſve modi. [2] Tu commutare labora
Qua potis arte ſonos: varium & mutabile novi
Ingenium auditus, teretem vel dulcia ſenſum
Invariata gravent: nec ſi vel Thracius [3] Orpheus,
Vel mihi ſi chorda [4] Dircæus oberret eadem
Amphion, placeant. Non hîc conſtantia laus eſt;
Certa fides dictis. Quid tantum frondea tecta,
Dic age quid tantum ſylvas philomela canendo
Exhilarat, Nymphæ ut plaudant, & Pana coronent
In choream manibus circum per mutua nexis
Faunique & Satyri, grex audiat immemor herbæ.
Nempe in multiplices ſolvit ſua guttura cantus;
Et nunc dormitans carmen dat ſponte volutum,
Nunc læta incidit frangitque tremore frequenti,
Nunc iraſcenti ſimilis de pectore ructat

1. Codrus autor Theſeidos, de quo. *Iuven. Sat.* 1. *v.* 2.
Vexatus toties rauci Theſeide Codri.

2. Varietas & per omnes ſonos vocis curſus, & ſe tuebitur & actioni afferet ſuavitatem. *Cic. l.* 3. *de orat.* 226.
Varietas auditorem maxime delectat. *ad Heren. l.* 3. *n.* 29.

3. Orpheus vir fuit magnus eloquio. *Albricus de deorum imaginibus.* Dictus quaſi ὡραία φωνὴ, præclara vox, Etymolog.

4. *Horat. in arte. v.* 354.
Et citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Infuſcans, tenſo nunc altius evibrat ore,
Emollitque trahens per languidulos ſingultus.
Si tantum poſſes variare [1] Cucule, placeres.
 At, quoniam cantus memini, diſcrimina quæ vox
Neſcit, in obſcurum extremo ſub fine canorem
Degenerat plerumque. [2] Melos non triſtius illo eſt,
Nec quo lucifugus juga territat avia bubo,
Nec male quaſſat iners juncos quo rana paluſtres.
Sic autem fugias. Extrema vocabula preſſo
Inferius demitte ſono. Magis omnibus una
Auribus incumbit quæ claudit ſyllaba verſum:
Hanc neque tu ſublime ſinas evadere cantor,
Vel nimium gelidos inter torpeſcere dentes.
Omnis in hoc cardo prope vertitur, ut cadat apte
Littera, quæ vocem claudit, quæ ſyllaba verſum.
 Et me quando tenet non illaudata cupido,
Prima rudimenta, & nondum ſermone ſoluto
Quæ comprenſa ſatis, [3] facili comprendere verſu:
Actor, ades. Loquere. Hoc vitium commune, loquatur
Ut nemo: at tenſa declamitet omnia voce
Declamatoris vano qui nomine gaudet.
Tu loquere, ut mos eſt hominum. Boat & latrat ille,
Ille ululat, rudit hic (fari ſi talia dignum eſt)
Omnia cum volucrũ ſonet, omnia quadrupedantũ,

1. Avis propter repetitionem ejuſdem cantionis importuna, in alienis nidis ſemper parit, quod ſciat ſe inviſam cunctis avibus. *Plin. Hiſt. nat. l. x. c. 9.*

2. Sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in cauſis omnibus ſcholiſque, cantandi: quod inutilius ſit an fœdius neſcio. *Quintil.* Nihil ineptius, nihil perverſius quam ſi quis in lite cantet. *Quint. l. 11. c. 3.*

3. Quia nemo de ea re diligenter ſcripſit. nam omnes vix poſſe putarunt de voce, vultu, & geſtu dilucide ſcribi, cum hæ res ad ſenſus noſtros pertinerent. *ad Heren. l. 3. n. 19.*

Digitized by Google

Non hominem vox ulla [1] ſonat ratione loquentem.
Sibilat, exclamat, ridet, gemit, ejulat, actor
Humano nil more loqui juratus: at eſto
Cautior his monitis. Nubes & inania captat
Alter magniloquus. Vulgi capita infima ſupra
Sermo elatus abit, tanquam ſi numina & aſtra
Dignetur tantum alloquio. Prompta ultio. Non me
Alloqueris? Nec te auditor ſequar uſque loquentem,
Quod faciam his ſignis ne non cognoſcere poſſis.
Aſpice, diducit vegrandem ut nauſea rictum;
Cerne, invitatus nictantes ſomnus ocellos
Ut premit; ut ſcalptum caput impatientia torquet.
Quod ſi me excutio, ſtricto ſi mordeor ungui
Ad vivum, pando invitam ſi pervigil aurem:
Rideo, dum ploras; dum rides, torqueor intus;
Et ventis permitto ferant tua dicta per auras,
Quo libitum. Levis eſt, veniæque ſimillima pœna
Quam ſubterfugiat ſub amico judice nemo,
Omnia cum dicas alienâ voce, aliena
Ut mente auſcultans, fida nec proſequar aure.
Me majora vocant, dignus nam vindice phœbo
Incidit hic nodus: vati aſpirate camœnæ,
Quam res quæque petat nunc me juvat edere vocem.
Ore ſuperbifico violenta tragœdia [2] clamat.
Nil triviis innata, niſi populariter infit
Soccorum memor, & vilis comœdia ſcenæ.
Aſperius loquitur dentes hinc inde caninos

1. Ridet Auſonius Rhetorem qui omnium animalium vocem imitaretur egregie: humanâ uti non poſſet. *Epig.* 75.

2. Vocem tragœdiæ ſic diſtinguit. *Horatius l. de arte.* 93. a voce comœdiæ propria.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit. &c.
Telephus & Peleus cum pauper & exul uterque
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Excitan

Excitans ſatyra : at variare elegia [1] bilinguis
Ora, ſonoſque poteſt ; laceros modo ſordida crines
Triſte gemit, modo flore comas redimita, cachinnat.
Quid dicam undantem Germano ſanguine Rhenũ
Per te, Turenni : & vos ô duo fulmina belli
Borbonidæ heroes, quantis clamoribus olim
Grande ſonabit [2] epos ? tantum ſit idoneus acta
Qui recinat vates : ibunt ſuper æthera muſæ,
Carminaque & cœlum ſtupefactus & audiet orbis.
Dii tibi ſed quando dederint, Lodoice, Maronem?
Sic ſua diſcernunt varios effata poëtas :
Liberior nec ſi gaudet ſermone ſoluto
Orator, nullâ tamen oris lege tenetur.
Sedato fatur quiſquis deliberat ore :
Seu dat conſilium [3] Sullæ, privatus ut altum
Dormitet; ſive ad Cannas [4] vetat obvia Pœnis
Signa movere, *ducem dum portat bellua luſcum.*
Non ita Marcellum [5] reducem gratabere Tulli,
Et ſuper aſtra feres victoris ſcita benigni
Laudator : ſi quæ ratio molliſſima fandi,

1 *Horat. de arte. v.* 57.
Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Mox etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
2. Epicum poema, quo deſcribuntur
Res geſtæ regumque ducumque, & triſtia bella. *Horat. de arte.* 73.
3. In genere deliberativo argumenta vulgo a declamatoribus proponi ſolita, an L. Syllæ deponenda dictatura. *Iuvenal. Sat.* 1. *v.* 15.
Et nos
Conſilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormitet
4. An Terentio Varroni fuerit ad Cannas in Apulia cum Annibale pugnandum. *Sat* 7. *v.* 161. Perruptis Alpibus tum, Cum Getula ducem portaret bellua luſcum. *S.* 10. 158.
5. In genere demonſtrativo laus Cæſaris poſt revocatum Marcellum.

E

Utere, ut auguſtas melius vox mulceat aures.
Quod prædatorem [1] Siculum ſi forte laceſſis
Increpitans; vel ſi Catilinam extrudere Roma
Eſt labor; aut contra Piſonem cenſor acerbus
Bellua nonne vides? num ſentis bellua? clamas:
Illecebroſa procul laudantis mella Suadæ:
Vox inflata placet, rauco pæne æmula cornu.
At, ſi pone cliens tremit, & ſub judice lis eſt:
Suggeret ipſa tibi quem vult oranda ſonorem
Pro ſe cauſa. Decent actorem fervida bilis,
Os tumidum, ſtreperæ fauces, & pectus anhelum;
Defenſorem æqui placidæ modulamina vocis,
Sincerufque tenor, quem nec tremor arguat ulli
Affinem noxæ, nimium nec ſedula cura
Suſpectum fraudis. Si ſunt contraria jura: [2]
Vox blanda excuſat, veniam inclinata precatur,
Implorat lacrymoſa fidem ſuperumque hominumq;
Uno eodemque tamen ſermo non ore ſonandus
Totus erit. Clypei dominus ſeptemplicis Ajax
Ejulat incipiens. Agimus, [3] proh Juppiter, inquit,
Ante rates cauſam, & mecum confertur Ulyſses!
Num furor eſt iſto cœtum terrere boatu?
Rectius ille quidem, ſpoliis qui dignus Achillei,
Aſtitit, [4] atque oculos paulum tellure moratos
Extulit ad proceres, expectatoque [5] reſolvit

1. Invectivæ in Verrem in Sicilia olim prætorem, Catilinam, Piſonem.

2. Aliud enim genus vocis iracundia ſibi ſumat, acutum, incitatum, crebro incidens: Aliud miſeratio ac mœror, flexibile, plenum, interruptum flebili voce: Aliud metus, demiſſum, hæſitans, & abjectum. *Cic. l. 3. de or. 216.*

3. *Ovidius l. 13. Metamorphoſeon.* Sic inducit Ajacem de armis Achillis loquentem. *v. 2.*

4. Sic Vlyſſem *ibid v.* 124.

5. Quid inſuavius quam clamor in exordio cauſæ? *Cic. ad Herennium. l. 3. 29.*
A principio clamare aggreſte quiddam eſt *l. 3. de orat.*

Digitized by Google

Ora ſono. Gaudent affatu exordia molli. [1]
Nam licet abruptum excuſent furor iraque ſenſum,
Plus moderata juvant: nec longe exempla requirā:
Dat Telamone ſatus: nam [2] *quid facundia poſſet*
Tum patuit, fortiſque viri tulit arma diſertus.
Poſt exorſa venit narratio [3] ſimplice cultu:
Quæ ſatis officium potuit perfuncta videri,
Si ſatis audiri potuit. Pugnam pede preſſo
Occupat inde, ſolet quæ confirmatio [4] dici,
Bellatrix ſemper, nec non in utrumque parata,
Inque alios torquere, & miſsa repellere tela.
Orandi tum finis, at hic calefacta madebunt
Ora perorantum lacrymis: nec jam ſonus unus,
Aſt adhibenda tibi quot ſunt exempla ſonorum;
Si qua homines, & ſi qua Deos, quod denique reſtat,
Ipſum ſi qua etiam poſſint Acheronta movere.
Verum hæc quid ſtudio tantum connixus inani?
Nam maris & terræ citius tibi dixerit ille
Architas menſor [5] quot cœlo Iupiter aſtra,
Quot circum ſua regna videt Neptunus arenas:
Quam fando genus omne mihi ſit dicere vocum.
Tres ſtatuit natura ſonos, [6] imumque, ſupremumq;
Et medium: ſed de medio deſcenſus ad imum,
Ad ſummū aſcenſus quot habet, nunc quærere noli.

1. Prooemio frequentiſſime lenis convenit pronuntiatio. *Quint. l.* 11. *c.* 3.

2. Ita victum Aiacem ab Ulyſſe deſcribit. *Ovid. ibid.*

3. Narratio vocem ſermoni proximam, ac tantum apertiorem, ſonumque ſimplicem frequentiſſime poſtulabit. *idem. ibid.*

4. Argumētatio plerūque agilior & acrior & inſtantior. *Ib.*

5. Aſtrologus & Geometra, de quo *Horat. l.* 1. *Car. ode* 28.
Te maris & terræ numeroque carentis arenæ
Menſorem perhibent, Archita.

6. Mira eſt natura vocis, cujus quidem e tribus omnino ſonis inflexo acuto & gravi tanta ſit & tam ſuavis varietas perfecta in cantibus. *Cic. orat.* 57.

Hactenus hæc: melior dein cætera ſuggeret [1] uſus.
Sint modo, qui teneris vocem formare ſub annis
Tractando ſtudeant. Hominis ſunt omnia primum
Cerea; vox, digiti, cervix, plantæque, lacertique.
Omnia dureſcunt, cum prima ebulliit ætas:
Ut cera admotos quæ jam non ebibit ignes,
Indocilis fit deinde novæ ſuccedere formæ.

Declamare doces o ferrea pectora, [2] *Vecti?*
Triſte miniſterium miſeri deflere magiſtri
Suetus ait grandis ſatyræ pater. Attamen ingens
Hoc pretium eſt operæ, tenerum ſi [3] Neſtora fingas,
Neſtora præſidiumque ſuis certamque futurum
Hoſti perniciem. Quicumque es Vectius, ergo
Tyronem quoties peccat revocabis, idemque
Biſſenis verbum vicibus reſonare jubebis
Quo præeas modulo. Neq; enim quærenda voluptas
Hoc ſtudio tantum. Vires tractatio vocis
Dicendis etiam ſuperadjicit. Omnia mentis
Frivola ſunt ſine voce. Tenor dat pondera rebus.
Eurum a ſe Zephyrumq; abigens Deus æquoris infit
QVOS EGO [4]: nec Boreas hiſcit, fugit Æolus ipſe.
Æneæ miſerata vicem pulcherrima mater

1. Non ſum neſcius quantum ſuſceperim negotii, qui motus corporis exprimere verbis, & imitari ſcriptura conatus ſim voces. Verum nec hoc confiſus ſum poſſe fieri, ut de his rebus ſatis commode ſcribi poſſet: nec ſi id fieri non poſſet, hoc quod feci fore inutile putabam: propterea quod hic admonere voluimus quod oporteret: reliqua tradenus exercitationi. *l.* 3. *ad Herenn. n.* 27.

2. Vectius, aut, ut alii legunt, Vettius Rhetor, cujus indefeſſum in exercendis pueris laborem ſimul exaggerat, ſimul in pendendo ſtipendio ſordidam parentum avaritiam carpit *Iuvenalis Sat.* 7. *v.* 150.

3. Cujus tantum valuit melle dulcior oratio, ut Agamemnon affirmaret, ſe, ſi decem Neſtores haberet, brevi Trojam expugnaturum.

4. *Virg. Æneid.* 1.

Digitized by Google

QVOS EGO, ſi dicat: Zephyrus nec moverit alam,
Quantum verba ſonant, tantum valitura putato,
Admonuit vere quiſquis fuit ille Sophorum.
Tu vero iſtius quicunq; novitius artis
Exercende venis, curis puerilibus iſtam
Ne, moneo, curam adnumera. Rerum ipſe potitus
Tum bello Parthos exercet & imperat orbi
Auguſtus [1], vocemq; exercet & imperat ori.
[2] Sexta quaque die teneri dixere Quirites
Sub Fabio, pater adductis quæ audiret [3] amicis;
Sic viſus labor iſte viros pueroſque decere.
Nam qui Marte ſati genus inſuperabile bello
Romulidæ fatis promiſſum in ſæcula nomen
Quærebant late ferro & victricibus armis:
Tum demum ſibi nec metas nec tempora rerum
Sperarunt ponenda, graves cum Martis alumnos
Fandi Diva potens tota fulciret opum vi.
Seſſuris ducibus, vulgique adſtante corona,
At coram ne prodieris dicturus, amica
Quin præjudicio tutum te fecerit auris
Securumq; tui. Timidam tamen illa per artem
Tentamenta frequens orandi ſuppleat uſus,

1. Auguſtum ne Mutinenſi quidem bello declamandi conſuetudinem omiſiſſe teſtatur. *Autor l. de claris oratoribus in præf.*

2. Hujuſmodi declamationes ſero in urbem receptæ ſunt. Nam ſcribit *Gellius l. 15. noct. att. c. 11.* Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Coſſ. factum eſt ſenatusconſultum *ut in urbe non eſſent.* Paulatim tamen, ait Suetonius, declamandi conſuetudo utilis honeſtaque apparuit, multique eam præſidii cauſa & gloriæ appetiverunt.

Tempus autem harum declamationum in Soholis Rhetorum notat *Iuvenal. Sat. 7.*

Cujus mihi ſexta
Quaque die miſerum durus caput Annibal implet.

3. Qui adeſſent; declarat *Perſius Sat. 3. v. 44.*
Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo

Intactumque metu pectus. Nec, publica tantum
Concio dum condicta premit, voce utere; nam vox
Si fuerit multos ignava & inutilis annos,
Comperies [1] ſenſim vaneſcere: ſive meatum
Præpedit aggeſtus deſuetis faucibus humor,
Seu vox ipſa fugit. Vocem experiere colendo
Durare, & longo ſe conſervare labori.
Ne tamen aſſiduo ſtomachum clamore fatiga:
Neu jubeo, æternum recitando guttura frangas.
Namq; oculos vidi ante meos dum Cynthia creſcit,
Dumq; iterum decimo ſumit nova cornua motu,
Quotquot eunt horæ, per ſumma, per ima domorum,
Neſcio quid calido juvenem ſecum ore frementem:
Mox, ubi teſtis abeſt, per & atria tollere vocem,
Et per ſeſſilibus vernantes caulibus hortos,
Ceu fora jam videat conſcriptoſque ordine patres:
At cum dicta dies & vocem poſceret hora,
Elinguem hærere & conſumptæ vocis egenum:
Ut Mœrin [2] ſi forte lupi videre priores.
Incauto tantum potuit ſua cura nocere!
Nec raucæ interea ſunt nulla levamina vocis:
Blanda olli medicina. [3] Hunc optet puſio morbum
Cui glycyriſa tuos amor eſt ſuxiſſe ſapores,
Qui gaudet trepidis guſtare liquata ſalivis

> Grandia ſi vellem morituri verba Catonis
> Dicere, non ſano multum laudanda magiſtro,
> Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.

1. *Apul. Florid.* 3. Profecto ut gladius uſu ſplendeſcit, ſitu robiginat: ita vox in vagina ſilentii condita diutino torpore hebetatur. Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit. Tragœdis adeo, ni quotidie proclament, claritudo arteriis obſoleſcit.

2. *Plin. l.* 8. *c.* 22. In Italia quoque creditur luporum viſus eſſe noxius, vocemque homini, quem priores contemplantur, adimere in præſens. *Virg. Ecl.* 9.

3. *Ita Dioſcorides l.* 3. *c.* 5. *de glycyrrhiſa. de viola l.* 5. *c.* 117. &c.

Sacchara: qui violæ ſuccos, intritaque poma,
Et quem deinde dabit Veneris coma preſſa liquorē,
Ebibit, exertâ ſiccans bona pocula linguâ.
At quo deinde modo barbatum Rhetora ſanes:
Qui dum delicias atque irritamina guſtus
Feſtinat nimium venienti opponere morbo,
Deliciis perit ipſe ſuis, & pectus adurit.
Id peccant aliqui quos ſuave fragrantia verba,
Credo, locuturos ludens reſpondit [1] Apollo,
Si modo colluerent iſto ſibi [2] plaſmate guttur.
Verum mellifluus non ſic Plato guttura lavit.
[3] Fama fuit, falſi non ſemper nuncia fama,
Sceptriferis quondam manibus legiſſe Neronem
Dum voci ſervit, capitati ſemina porri:
Mox eadem coxiſſe ſibi interiore culina,
Et conſperſa levi ſucco prædulcis olivæ
Una hæc in vacuis poſuiſſe legumina menſis.
Tantus amor, vocis tam magna libido fovendæ:
Ut fuerit contenta cibo gula Cæſaris iſto,
Cui tenuem ſpoliata dabat provincia cœnam.
Vos hæc Pæonii melius tractate nepotes!
Addo ego quæ primo quondam inculcata ſub ævo
Commemini. Ne frange [4] nuces puer. Utere, ſi vis

1. *Herod. in Melpom.* Thereum Battum Cyrenarum conditorem miſiſſe ait, qui de λαμπροφωνία Pythium Apollinem ſciſcitarentur.

2. Cornutus in illud Perſii. *Sat.* 1.
Liquido cum plaſmate guttur
Mobile collueris.
πλάσμα, inquit, dicitur medicamentum quo mulcentur & recreantur fauces.

3. Porro ſectivo nuper autoritatem dedit Princeps Nero, vocis gratia. *Plinius. l.* 19. *c.* 6.
Porrum autem voci ſplendorem afferre *Idem ait. l.* 20. *c.* 6.

4. *Athen. l.* 2. Nuces, maxime Perſicas facere vocis rauce-

Ludere par impar : caſtella attolle ruenda
Dein nucis alterius jactu : ſcrobis inſuper alvo
In manibus quot habes ludens includere certa.
At duro quidquid nucis eſt munimine ſeptum,
Heu voci nocet ! audaci ne dente revelle.
Nec minus & ficum [1] fugito. Laudata Minervæ
Illa licet, viſco fauces oblimat inerti.
Qualiter & menſæ non ultima cura ſecundæ
Caſeus. Hunc igitur quantumvis cætera largus
Convivæ ſaturo manibus diſpenſat avaris
Ipſe pater cœnæ : tamen unus parcior eſto
Ante alios, ſi vocis honos, ſi gloria tangit.
Lactis mollitiem tepefacta coagula durant
Caſeus ut fiat, cupide dum caſeus eſtur,
Senſim obducta riget concreto arteria lacte,
Quæq; animæ quæq; eſt primæ data ſemita voci.
Hoc ſatis eſt voci curandæ. Hoc inſuper opto,
Quod nullæ valeant præſtare Machaonis artes : [2]
Ut neque de pingui ſtillans pituita cerebro
Imas humectet mucoſa uligine nares ;
Neu ſit inops nimium, vel abundans lingua ſalivæ ;
Neve agitet tremefacta frequens præcordia tuſſis.
Vera fatebor enim, nihil eſt obſcœnius illo,
Quem ſæpe undantem ſtrophio detergere naſum
Sollicitat mucus: præſertim ſi impete magno
Perque vices putris cerebri ducatur ab alto

dinem teſtatur.

1. Scribit Demetrius Scepſius qui ficus non comederent εὐφώνους γίνεσθαι: *Athen. l.* 4. Hegeſianacta eximium actorem & εὔηχον factum, quod per annos octodecim ficum non guſtaſſet.

2. Jam tuſſire, & expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, etſi non utique vocis ſunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, potiſſimum huic loco ſubjiciantur. *Quint.* 11. c. 3.

Cum

Cum ſonitu. Sed nec facilis ſe lingua volutat
In ſicco, nec deciduis ſi merſa ſalivis
Innatat. Hinc ſpumis ora exundantia canent,
Hinc linguæ labor, & labii turgentis hiatus:
Et mirum, intentos ni fœda aſpergine vultus
Perpluat aſſiduus bucca ſtillante ſcreator.
Sed veniam morbo facilis natura precatur.
Hic dignus riſu, qui morbum fingere curat,
Affectans ſputum & placitam diſtinguere certis
Tuſſim intervallis: veluti ſi in margine libri
Tuſſiat hîc, ſpuat hîc, quis ſcripſerit. Ordine mẽbra
Quæ tria ſermonĩ ſolito diſcrimine fecit,
Sic nunquam ingreditur; quin tuſſiat, & ſcreet arte.
Quid vero nimium docilis quod turba ſequatur
Sputa laborata & meditatam ab Rhetore tuſſim,
Ceu diſtinguendæ diludia commoda ſcenæ.
Audio, dum ſignum ex alto dedit ille: repente
Vir ſpuit, & tuſſit; tuſſit cum virgine mater,
Ancillæ & pueri & ſpectantum cætera turba.
Seria quis poſſit ferre inter talia nugas?
Tolle mihi ſtolidum jam culta Lutetia morem.
Hæc Oratorum nota ſuper arte canebam
Auſpice te FERNANDE: tonans victricibus armis
Dum formidatas optata in prælia turmas
Hinc LODOICUS agit, pavet inde Batavia, & omnis
Æſtuat incerto titubans Germania motu.
Tu meritam dudum Batavis avertere peſtem
Imperioſa, tui tamen haud memor uſque decoris
Fraudibus & cæco meditaris Iberia Marte.
Demens, quæ potius detrectatumq; 1 Philippi
Imperium, & toties violatæ opprobria 2 Romæ

1. Anno 1572. à Philippo 2. Hiſpaniarum rege aperte fœderatæ provinciæ defecerunt.

2. Eodem tempore Romano Pontifici obedientiam negarunt cum convitio.

Digitized by Google

Debueras ulciſci : auſis vel talibus impar
Si fueras, fortes in fœdera poſcere Gallos,
Qui populi effrænis tumidos contundere faſtus,
Et ferro illatam valeant expungere labem
Rege ſub invicto ; famulis victoria pennis
Quem præit, & ſemper virtuti obnoxia magnæ
Gloria conſequitur factis & nomine [1] MAGNUM;
Ille tuas potuit ſuperare [2] Veſontio turres :
Ille reluctantem duro certamine Dolam,
Jam data fræna, Deo ſed poſt excuſſa volente,
Fræna pati poſthac nunquam excutienda coëgit.
Fruſtra etenim, ſi quæ Gallis eſt addita Juno,
Geryonem [3] obtulerit : nec ſic factura triumphis
Fors inimica moram eſt : nihil ille tricorpore mõſtro
Territus Alcides venit, triplicique reciſum
Clade caput retudit. Jam veri Hiſpania teſtis
Dic age, dic jurata alios quondã Auſtria [4] in hoſtes
Chriſtiadum conferre aquilas, dic ipſa Batavûm
Conſcia gens, an non LODOICUS jure feratur
UNUS TERGEMINUM [5] ſternens, nec PLURIBUS [6] IMPAR.

1. Ante aliquot annos MAGNI nomen conſecutus communi populorum voce Ludovicus.

2. Ipſe Sequanos, expugnatis eorum urbibus, ſibi paucis diebus ſubjecit.

3. Geryonis nomine celebratus a noſtris ſcriptoribus tricorpor exercitus Auſtriorum, Hiſpanorum, Batavorum, ter a Gallis luculenter cæſus ducibus Condæo & Turrennio.

4. Imperator in hæreticos & alios fidei hoſtes, inter ipſa inaugurationis ſacra, jurat ſe imperii viribus uſurum.

5. Cum hac inſcriptione cuſum eſt numiſma Ludovico, UNUS TERGEMINUM : Corpus ænigmatis erat Hercules tricorporem Geryonem cædés. Scripſit Santolius Victorinus, obtulerunt præfectus urbis & Ædiles Cal. Ian. 1675.

6. Primum regis lemma, Sol, cum hac epigraphe NEC PLURIBUS IMPAR.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

20.
Digitized by Google